A
4C



KZ
2087
A3
L45
1585
Rare

The
rmingham
Law
Society

Ratio
est Anima
Legis

ROBBINS
COLLECTION

KZ
2087
A3
L45
1585
Rare

LAW LIBRARY

THE UNIVERSITY
OF CALIFORNIA

THE REUEL DRINKWATER AND
SADITHA MC CULLOUGH ROBBINS FUND
ESTABLISHED BY
DR. LLOYD M. ROBBINS

ALBERICI GENTILIS

De Legationibus,

LIBRI TRES.

BIRMINGHAM LAW SOCIETY

LONDINI,
Excudebat Thomas Vautrollerius
1585.

NS INN GATE.
Y STREET.
NDON.

Received 4/5/02 .274322 X

ILLVSTRISSIMO PHILIPPO SYDNEIO Albericus Gentilis

S. P. D.

MAGNVM, Sydnei, deſiderium fuit, quo ſummam erga te animi mei propēſionem, ſummamque obſeruantiam facere teſtatiſſimam, & illuſtrem deſideraui. Quidquid enim hoc toto Anglicano quinquennio potui in rem iſtam excogitare, mihi illud omne exile ſemper, & tanta voluntate longè inferius viſum eſt. Sic ſcilicet vſu venit, vt in quæ ſtudio quodam ferimur ſingulari, in his numquam ſatis nobismet ipſis facere valeamus. Ego cum in Angliam appuliſſem primò, & nihil ſanè pro ea, quæ me tenet condicio, cogitarem minùs, quàm nobilibus viris operam dare, aut in ipſorum oculis apparere: inſignis fecit, frequens, & conſtans virtutum tuarum prædicatio, vt ipſe quoque caput attollere, & ad eam, quam fortè æquo etiam plus refugi, lucem vltrò decurrere, adeoque ad te properare voluerim. Et tu verò cùm litteris, tum ſepiſſimè coram ita mecum egiſti, vt nunc rem nullam auribus vmquam meis accidiſſe oportuniorem ipſo hoc putem, quo factum eſt, vt in tuam notitiam, & familiaritatem deſiderarim, próque tua humanitate, potuerim peruenire. Nam quid eius quæſo viri beneuolentia gratius, qui auita nobilitate, præſenti virorum illuſtriſſimorum

neceſsitudine, ſuis virtutibus ita ſplendet, vt quod quod eſt præſtantiſsimum in multis, id tamquam in vnam arborem plura genera, ſit in eum vnum multorum inſitum, atque illuminatum conſpiciatur? Illuſtriſsimus meritò ſit, & habeatur parens Henricus, *Proregis Hiberniæ munere, Præfectura VValliæ, ſummo Garteriæ ordine, excellentiſsima Conſiliarij dignitate, honoribus reliquis: te tamen quòd talem, tantumq; filium habet, ipſe & ab alijs, & a me longè nobiliſſimus exiſtimabitur. Illuſtriſsimum, & religioſiſsimum* Walſingamum, *alterum parentem, ſocerum tuum, an credimus vel ſupremi illo Secretarij gradu, vel inſigni alia adminiſtratione ſe beatiorem cenſere, quàm quod filiam vnicam, eámque lectiſsimam tibi ex omnibus nobilibus delecto in matrimonium, & in ſpem domus collocarit? Dicam de fratribus? Ecce ipſi egregium nacti gloriæ curſum, illum, te præeunte, ac prælucente, fœliciſsimè tenent. Quid illuſtriſſimum* Pembrochiæ *Comitem appellem, nobiliſsimæ ſororis tuæ nobiliſsimum virum? Iſte adfinitate Sydneiorum maximè delectatus, te in ore, te in oculis pectoris ſemper incredibili cum iucunditate habet. Sed Comites illuſtriſsimi* Waruicenſis, & Leiceſtrenſis *auunculi te vnum ſic intuentur, vt reliquorum, quibus honorati, beatiq; ſupra omnes exiſtunt, bonorum obliti, & in te vno eſſe ipſis omnia, credere, videantur. Quid attinet ſingula proſequi?* Waruicenſis *dignitates ampliſsimas, & ſummos exercituum narrare ducatus?* Leceſtrij *decora omnia explicare? Hic propter ſapientiam ſingularem, egregiam charitatem in patriam, admirabilem erga principem fidem, religionem in Deum excellentiſsimam, ſuſpicitur bonis omnibus, diligitur, colitur, veneratur. Is ille eſt, qui magnarum virtutum ſuarum documenta toto hoc tēpore, quo SERENISSIMAE REGINAE adſedit, talia ac tanta dedit, vt niſi penitus & nos occupet malus genius, de ipſius laudibus conticeſcere non poſsimus. Sit enim, vt eſt, maximum, ac propè diuinū ELIZABETHAE ingenium, conſiliumque: déque ipſa cani illud veriſsimè poſsit,*

Vos etenim reges animum geritis muliebrem,
HÆC REGINA viri:

Nullus tamen cùm vmquam fuerit princeps, nec eſſe quidem poſsit, qui ſine adminiſtris regat imperium ſuum: his certè rectionis non minimum eſt deferendum. Itaque, ſi quid hodie boni Anglia habet,

(habet

(habet verò pacem, religionem, reliquaque, quæ illas ſequuntur bona. quibus nec vllum eſt ſanctæ adminiſtrationis certius argumentum.) id tanta ex parte, quanta maxima ipſius eſt adminiſtratio, conſilijs huius auunculi tui, neceſſe eſt, referamus acceptum. Et ſanè nec poſſumus ſine grandi alio piaculo non fauſtis omnibus acclamationibus excellentiſſimo viro fauere: quem ELIZABETHA (ELIZABETHAM quum dicimus, pietatem dicimus, & virtutem ipſam) a conſilijs ſibi eſſe voluit, & longiſſima experientia comprobauit. Nemo profectò, nemo, qui de PRINCIPE OPTIMA ſentiat benè, Leceſtrio non applaudet, & votis maximis non fauebit. Nam ſunt ita rationes conſiliariorum iunctæ rationibus principis, vt Romani illi Imperatores partem corporis ſui conſiliarios eſſe profiteantur, & ſe violatos, conſiliarijs læſis, adfirment. Quæ ſi profligatiſſimæ mentis homines quidam ſentirent, vel famoſæ vocis turpitudinem, omnium temporum legiſlatoribus ſcilicet, & ſanctiſſimis viris deteſtatam, intuerentur; latratus nefarios contra virum fortiſſimum nec commouiſſent, nec os fœdiſſimum aperuiſſent. Verùm & vecordes iſti virtutibus Leceſtrenſis teſtimonium (ſint aliás lege inteſtabiles) non minus adferunt, quàm faciant boni omnes, qui virum meritiſſimum nec nominare quidem ſine honoris præfatione, aut inſigni laudatione ſolent. vt enim a probis laudari laudatiſſimum eſt, ita ab improbis audire conuicia, non niſi ſumma in laude ducimus reponendum. quoniam & turpis hominis laudatio turpis laudato eſt, labemq; turpem aſpergit: & vt honeſtorum commendatio hominum arctiſſimam cum illis coniunctionem, ſic iſtorum criminatio nobis cum iſtis diſſimilitudinem, latámque diſiunctionem eſſe demonſtrat. Macte animo ingenti, Comes excellentiſſime: cuius videlicet nomen cùm cæteræ virtutes tuæ, tum merita in patriam, obſequia in principem, pietas in Deum, voces bonorũ, ipſique improborum furores glorioſum teſtantur, & laudatiſſimum in omne æuum tranſmittent. cui inimici eſſe non poſſumus, (Anglum me pro charitate facio, qua indies Angliæ magis, atque magis deuincior) quàm patriæ priùs, quæ ſecundùm Deum, PRINCIPEMque, conſiliariorum, adeoq; tua Leceſtri, opera multa floret; priùs PRINCIPI, qua nihil vidit Sol ipſe in terris vmquam excelſius, quæq; optimũ de te viro nobiliſſimo iudiciũ tulit; religioni priùs ſanctiſſimè a vobis cõſtitutæ bellũ intuliſſe nefariũ

iudicemur. Cæterùm de Leceſtrio *& aliàs, & longè plurima. Ad te nunc, Sydnei, reuertor. Hunc tu tantum tuorum ſplendorem, quem alij vix capere, aut ferre poſſent, non modò excipis, ſed & maiorem multò excellentibus virtutibus tuis reddis, & magis, magisque illuſtrem facis. De his tamen, ne quid culpa ingenij detereatur, ſilendum eſt mihi: qui etiam, quod in ea ſcriptione valui, exprimere toto hoc opere conatus ſum: vbi ſcilicet, vt de te imaginem perfecti legati, hoc eſt viri excellentiſſimi, exprimerem, ſedulò, & viribus cunctis incubui. Me beatum, ſi huius voti aliqua ex parte ſum factus compos. Vt enim non fuerit pictor, tertius artifex, qui ad viuum, plenèque, vtatur quamuis penicillo doctiſſimo, opus vllum artificis cuiuſq; primi retulerit: ita nec ego is ſum, qui tua ornamenta (quo ſtylo?) ſic a me explicata credam, vt multa non prætermiſſa, plurima vix adumbrata, & infra omnium dignitatem expreſſa omnia non agnoſcam. Probè mihi tenuitatis meæ conſcius ſum. Et hæc conſcientia (vt iam complectar quod a principio proponebam) longum me iſtud tempus detinuit, ne mearum lucubrationum, quibus quidem poteram ſolis meæ illi cupiditati ſatiſfacere, quidquam ad te deferrem. Poſtquam enim primitias in nomine ſummi viri, auunculi tui emiſi; cui tamquam tutelari numini debebantur: nihil ſanè ad manus fuit, quod te dignum exiſtimarem. Volebam enim aliquid non ex meis ſtudijs agreſtioribus, ſed, quod nobiliorem & magis ingenuam ſaperet eruditionem, obtuliſſe. Quod quàm difficile fuerit, & pænè impoſſibile, vt ego conſequerer; vel tu bonus mihi teſtis apud te eris, qui hominem, ſcio, nullis deditum alijs litteris cognouiſti, quàm his, quibus Bartoli, ac Baldi conſperſi ſunt, & alios ipſi ſtudioſos ſuos conſpergunt, penitúsque, ac penitus imbuere ſolent. Nec verò meum illud deſiderium expleſſem vmquam, niſi Oxoniam Illuſtriſſimi* Leceſtrenſis *aduentus huic rei anſam aliquam præbuiſſet. Dum namque me illic, non doctiſſimos Anglos tantùm, audire (quod tu, qui aderas, benè tenes) voluiſſet: ea in corona ordinarias quæſtiones miſſas facere, atque ipſa vel inuita Minerua tractare aliquid oportuit; quod illam occaſionem deceret. Tractaui itaque de Legato quæſtionem, & (vt ſcis) eam, in quam diſpiciendam tu me olim deduxeras, atq; explicandam penitus Socratico omni artificio adiuuaras. An enim ego ſimile quidquam meditari, aut diſputare potuiſſem, præſertim cum dicendum mihi (vt noſti) ex tempo-*

re

re incubuerit? Ea tractatio, quòd placere viſa fuit, reſumpta mihi in manus, & doctiſſimo Doctore Ioanne Iames *hortante, ac impellente locupletata, expolitáque me tandem argumenti huius admonuit, quod aptum eſſet, in quo plenè explicando verſarer, & in explicato veterem illam meam voluntatem perficere poſſem. Erat id quidem arduum mihi ab ijs omnibus adiumentis inopi, quæ res tanta requirebat: quæque vt compararem, ratio ſtudiorum meorum, me diutiùs ab ipſis diuagari non ſinens, ſummopere impediebat. Vicit tamen animi ardor hæc omnia. Repetij ex priſtinis ſtudijs ad rem quantum fauere memoria valuit. operis, neſcio an ſuccisiuis, ſed certè de lectione conſueta detractis, alia perluſtraui. Sic feſtinaui, vt minutulo (vix enim ſex intercedere menſes agnoſcis) hoc temporis ſpatio opus præſens confecerim. Id nunc eius, quam dixi, obſeruantiæ in te meæ, ac nomini tuo adfero, facioque ſacrum. Atque tu excipere quidem ſic debes, vel ſi illud non prorſus dignum exiſtimes, quod tot inter alia tibi nuncupata reponas. tibi enim deſideratum, meditatum, elaboratum, effectum, déque te, quà rudis potuit faber, effictum præferre aliud nomen non poteſt. At tu, tuus ille Sophus Lælius,* Eduardus Dierius *vel conatum meum iuuabitis: & is cùm apud alios, tum apud vos, quibus probari maximè cupio, aliquem locum obtinebit. Vale. Oxon. XII. Kal. Aug.*

AD ALBERICVM GENTILEM RICHARDVS EEDES.

QValem Oratorem Cicero, Stagirita beatum,
Communem Plato finxit in vrbe ſtatum,
Qualem Helenam Zeuſis, Venerem depinxit Apelles,
Qualem Pandoram turba dedere Deûm:
Talem legatum cum vis deſcribere, in vnum
Cur non è multis quæ meliora legis?
Scilicet ille tibi deſcribitur optimus vnus,
Optima qui clarus ſingula ſolus habet.

AD EVNDEM SCIPIVS F.

VT quondam rudis, atque indocta falce dolatus
Silenus mutis ſtabat hians calamis:
Quum verò arcanam reſeraret faginus aluum,
Mira oculis hominum ſigna videnda dabat.
Sic tu, cuius opes, ac dædala mentis imago
Sub duro legum cortice clauſa fuit:
Mirandas animis hominum nunc pandis aperto
Ingenij formas, diuitiaſque ſinu.

ALBE-

ALBERICI GENTILIS DE LEGATIONIBVS LIBER PRIMVS.

CAP. I.

Qui Legati nomine nuncupentur.

LEGATVS aut is dici (Varrone, Cicerone, alijs teſtibus) ſolet, qui alicuius poteſtatis, magiſtratúſue perſonam, munúſue ſuſtinet: aut is, qui mittitur aliquid explicaturus, quod illi libeat, a quo mittitur. Priores ſunt, qui bellica legatione (ſic Cicero nominat pro Balbo) apud Imperatores, Duceſque exercituum funguntur. Sunt qui magiſtratibus ſimilem fiduciariam (vt Cæſar loquitur) operam in officio adminiſtrando præſtant: Legati Proconſulum, alij, quorum & hiſtoriæ, & libri iuris ciuilis frequentiſsimè meminerunt. Sed & multi ſunt magiſtratus iſtius nominis, propria munera exercentes: vt Pontificius ille Legatus, quem in exercitibus bella pro Papa Romano tractare, notat libro decimoquarto Guicciardinus. Ac quidem ex eodem foro ſunt illi a latere, illi conſtituti, illi nati, de quibus ſcriptum in iure Pontificio non vno eſt loco. Fuit magiſtratus olim, quem dixere Legatum Cæſaris, ſiue Imperatoris. & is prouincię Pręſes erat, vt traditũ eſt à Venuleio I.C. in l. 12. D. de accus. Hoc ſcilicet nomine Præſides, qui ab Imperatoribus in adſumptas ſibi prouincias mittebantur, à præſidibus diſtinguebant, quos in prouincias ſuas mittebat populus. Quod

V. lib. 4. de lin. La. C. Verr. 4.

Lib. 2 de be. ciu.

C. 1. de Off. Leg. c. ij. eo. in 6. C. 1. de app. & 7 q. 1. placuit. L. pe. D. de Off. Præſ.

Dio libro quinquageſimo tertio ſcribit. Fuit huius generis Legatus ad cenſus accipiendum. De quo libro Epitomarum primo
L.1.D.de mun. & ho. Hermogenianus loquebatur, & loquitur libro primo Annalium Tacitus. Sunt tandem & hi, qui re benè geſta, diſpenſandæ, cohoneſtandæque victoriæ ad Imperatores deſignabantur. Tales ad maiorem Africanū ſuperatis Cartaginenſibus, ad Quinctium
Liu.lib.30 33. 37 45. ſuperato Philippo, ad L. Scipionem victo Antiocho, ad Æmilium victo & capto Perſeo, ad Anicium Gentio in poteſtatem redacto, alij ex his cauſis ad alios multi fuere. quos dicere nec operæpretium eſt, nec præſentis noſtri inſtituti; quod alterum Legatum, qui magiſtratus nullo modo eſt, ſpectat. Hæc verò ſatis ſunt, quæ de Legato magiſtratu, aut magiſtratus vicem gerente indicauimus: ne deinceps ambiguitate nominis capti hæſitemus alicubi, vbi minimè fuerit hæſitandum.

CAP. II.

Multiplex eius Legati nomen, de quo nos ſumus dicturi: & definitio.

LEGATVS, de quo inſtitutus nobis eſt ſermo, & Orator quandoque, & Interpres, & Nuncius, vocabulis ſcilicet latioribus, nuncupatur. Atque ad Oratorem quod attinet, loci illud plures confirmant. Inquit
Lib.7. Virgilius

Tum ſatus Anchiſa delectos ordine ab omni
Centum oratores auguſta ad mœnia regis
Ire iubet.

& libro vndecimo,

Iamq́ oratores aderant ex vrbe Latina.

Liu.1. 5.6.24. 25. Sed & Liuius vſus hoc nomine eſt frequentiſsimè: & vtitur Plautus in Prologo Amphitrionis, ac vulgata res eſt. Alterum nec videri obſcurum poteſt, quod diximus, Oratoris nomen latiùs nomine Legati patere. Illud enim eius eſt, qui de rebus omnibus
Cic.lib.1.de Orat. poſsit variè, copioſeque diſſerere: iſtud verò ad hos tantùm refertur, qui negotia publica tractant. Aſt & in eo differunt, quod oratoris, quà is eſt orator, artis propriæ appellatio eſt: Legati ſignificatio

nificatio ad miniſterium alienum refertur. Quare vt ſit orator, etſi iam cauſſas non oret, orare tamen poſsit: non tamen dicitur Legatus niſi is, qui Legatione fungitur. Addite, quod Legare eſt mittere, & Legatus miſſus: orare eſt loqui, vel agere; orator vel loquutor, vel actor. Sic & alienas & ſuas cauſſas orator agit; & apud alios, & apud ciues: Legatus rei ſuæ, niſi vnus, non eſt; nec eſt ad ciues. Latior eſt ergo appellatio oratoris. Immò arctior iam ex communi vſu videri aliquando poteſt: ſiquidem Legatos quoſdam deprehendemus, qui penitus nihil, aut ſolùm in acceſſionem operis peragendi aliquid loquuntur. Et iſtos ex recepta dicendi conſuetudine nominare oratores vix poſſumus. Et ſcribit Plato, oratoriam earum eſſe artium, quæ oratione perficiuntur, & opere aut nullo indigent, aut perexiguo. Itaque ſuperet illam Legatio, quoniam hæc & opere ſolo perfici poteſt, & opere verbiſque. Quibus tribus differentijs artes omnes diſcriminantur. Quod autem Gulielmus Budæus oratoris vocabulo eos Legatos propriè ſignificari cenſet, qui depræcabundi veniunt: id mihi perſuaſum non eſt. Repugnat enim nominis origo: quoniã orare ab antiquis dictum pro agere, docent Grammatici; & inde oratores nuncupatos hos Legatos, quod reip. mandatas partes agebant. Quid præterea eandem ſignificationem omnis non ſuſciperet orator? At dicitur orator non is modò, cuius oratio præcibus conſtat, verùm & alius quilibet, qui vituperet, accuſet, minitetur. Non etiam in Budæi partes dederim vſum auctorum. Cæterùm de re iſthac ſatis, & ſatis de oratore.

In Gorg.

In tit. de ui. pu.

Feſ. Adorare. Orare.

Interpretem quoq; nominari Legatum ſcimus. Nam de nuncio Deorum Mercurio Virgilius Æneid. 4.

Interpres Diuum fert horrida iuſſa per auras.

Et eius nominis, itemque Iridis ad rem bellè explicat rationem Plato in Cratylo, quam exſcribere nolo. Sed & Cicero interpretes dicit, qui ferunt, referuntque mandata. quos Legatos appellamus probè. Et ſanè tali ratione ſtat Lucretij illud lib. 6.

Ma. in ep. 9. ad Bru.

Atque animi interpres manabat lingua

Et quod in Timæo Plato, orationem eſſe interpretem ſcribit. Differunt porrò iſti. Quoniam & ſcriptorum interpres dicitur, non Legatus. Et pro præſente etiam ille eſt, quem loquentem non

intelligimus: legatus ſolùm pro abſente agit. Nuncium tandem nuncupari legatum & ex eo Virgilij liqueat

Nuncius hæc Idmon Phrygio mea dicta tyranno
Haud placitura refer.

Lib.1.Tuſc. Et quod qua forma interpretis vocabulū a Cicerone vſurpatum, & Lucretio modò retulimus, eadem Ciceronem ſcripſiſſe, quinque hos noſtros ſenſus eſſe nuncios animi noſtri, cognouimus.
n.Timæ. Dixit & Plato venas ſaporum nuncias, quæ a lingua ad cordis ſedem tenduntur. Orationem etiam nunciam dixit. Nota dein Fœcialis illa ſunt: *Rex, faciſne me tu regium nuntium Populi Romani Quiritium?* Atque nuncios, interpreteſque nominat legatos Cicero in Vatiniana: & libro vigeſimo primo Liuius, quos dixerat oratores, eos mox nuncios appellat. Homerns etiam, & alij illum
Hym.in Merc. Deûm interpretem Mercurium pariter nuncium vocant. Diſcrimen verò inter nuncium, legatumque eſſe indicat Cicero ep. 1.
Lib.3. lib.15. fam. & Liuius perſpicuè, dum de Æquorum aduētu ſic ſcribit: *Cuius ſi falſò famam vulgatam, vanáque non nuncios ſolùm, ſed Thuſculanorum etiam legatos attuliſſe putent.* Et ilico. *Sin fides & nunciis & legatis habeatur, &c.* Atque alibi de Cartaginenſibus:
Lib.29 *Aſdrubalem ſubinde ac Syphacem per litteras, nuntióſque, poſtremò etiam per legatos accerſunt.* Quod ergo illud diſcrimen eſt? illud certè non eſt, quod publicè miſſi legati dicantur, priuatim nuncij.
L.lib.8. 41.42. &c. Nuncios enim & publicè miſſos non apud relatos modò Liuij locos, ſed & alibi apud eundem, & apud Ciceronem, Salluſtium,
C.ep.2. lib.15. fa. alios nominari videmus. Itaque hinc præſentem definitionem ſu-
S.de be.Iu. mere non oportet. Sumimus ex mittendi ratione. Vt legatus is ſit qui non modò publicè, ſed publico etiam nomine & publica indutus perſona miſſus eſt. *Senatus* (inquit de legato quodam in octaua Philippica M. Tullius) *faciem ſecum attulerat, auctoritatē reip.* Et ſcribit libro de officijs primo haud abſimili ratione, quod ciuitatis perſonam magiſtratus gerat. His modò omnibus adſumptis, multiplicibuſque legationum (mox de iſtis exponemus) generibus, legatum in propoſito definirem, vt eſſet, qui publico, aut ſacratiori nomine ad remp. perſonamúe aliam ſacratiorem ob rem publicam, aut ſacratiorem miſſus ſine imperio eſt rei dicendæ, agendæ cauſſa. Quid explicem? Nuntios, qui inter priua-

tos

tos ſunt, & (vt dixi) etiam inter perſonas publicas, primis ſtatim verbis excludo. Nam legati non ſunt: niſi in Verrina quarta credimus propriè Ciceronem locutum, qui Letilium neſcio quem tabellarium mox legatum appellat. Excluſi ſunt illis verbis *ob rem publicam, aut ſacratiorem* etiam adlecti. Hi ſecundum Grammaticos erunt, qui ad priuata negotia dimittuntur. Hanc etenim ſtatuunt iſti magiſtri differentiam inter legandi & adlegandi verbũ vt publica illud, hoc priuata negotia reſpiciat. Et verum videtur, regis etiam ſi ſint negotia iſta. Nam ita Liuius libro trigeſimo ſexto: *Rex amore captus virginis, cùm patrem, primò adlegando, deinde coram ipſe rogando, fatigaſſet, &c.* Atque horum adlectorum (vt ego quidem exiſtimo) illud eſt, quod ſcribitur in lib. 10. C. de exc. mun. *Legatis, atque adlectis ſumptus poſſeſſio. &c.* Scripſi in definitione, *ſine imperio* quia legatos illos, quos nominauimus capite primo, nolumus iſta diſputatione contineri. Et ſunt illi cum imperio omnes proprio, aut alieno. Quod rectè oſtendit in Verr. 3. Manutius, cõtra quàm Lambinus & Hotomanus exiſtimarũt. Noſter autem legatus nullam habet iuriſditionem. Nec enim ſi quid in ſuam familiam cenſebimus legatum poſſe, id propterea eſt homini, quà legationem fungenti, adſerere iuriſditionem. Reliqua definitionis reſpiciunt omne genus legationum, quarum hic tractatus eſt: neque vllum incontentum relinquunt. Quod ipſa legationum explicatio demonſtrabit.

Per d. Verr. & ep. vlt. lib. 12 fam.

CAP. III.

De ſacra legatione.

QVI Sacratiori, quàm publicum eſt, nominẽ, aut ad perſonam ſacratiorem, & ob rem ſacratiorem proficiſcitur, is eſt, quem aut à Deo miſſum, aut ad Deum, rẽmue diuinam appellabo. Apoſtoli, Angeli, atque huiuſmodi alij à Deo miſſi ſunt: & ij, quos Deorum nuncios finxit Gentilitas ſibi, Iris, Opis, Mercurius: Sed & Dæmones, & aues, & Somnia huc vel Xenophon, Platoque trahunt. Plato etiam libro quarto de rep. Oraculum Delphicum ea ratione interpretem mortalibus omnibus vocat, quòd Deorum conſilia hominibus

X. in conu. P. in conu. & in Epino.

referebat. Atque is propterea Philoſophus in ſua rep. legationem hanc ſacram retinet. Ait enim libro duodecimo de legibus: *Ad Pythium Apollinem, ad Iouem Olympicum, Nemeam quoque Iſthmũ mittendi ſunt nonnulli, per quos ſacrificia, ludosque his Dijs ciuitas noſtra communiter conferat.* Hi ſiquidem ſacri legati ad templa Deorum, rem diuinam vt agerent, oracula conſulerent, munera
Liu.lib.5.22.29 45. portarent, legabantur. Et non rara eorum hiſtoria eſt. Habet verò de ipſis plura libro ſecundo, & tertio Heliodorus, & Plutarcus aliquid in Demetrio. Cæterùm ſacræ huius legationis meminit etiam Philo in libro de legatione ad Caium, & illam dicit, qua Hieroſolymam ad ſacrificia peragenda, primitias, donúmue aliud
In co.Ly.& Nu. ferendum in templum ibatur. At illud eſt perbellè a Plutarco relatum, quod Senatus Romanus Deos conſultum quandoque miſerit, quidnam ciuitati portenderet, quod mulier cauſſam (& hæc tamen propria fuit) in foro dixiſſet. Retulerint verò non pauci in harum legationum catalogum eas, quæ a Romano pontifice, vel
Guicc.lib.12. ad eum ſunt. Nam diuinitatis huic multum adfigitur. Et Hiſpani à legato Papæ, quo cum bellum gerebant, non aliter abſtinuere annis abhinc cẽtum, atque piratæ Liparenſes ab illis abſtinuerint qui Delphos ab Roma proficiſcebantur ſacram iſtam legationem peragentes. Hoc ſcilicet tenet præ cæteris ſacra legatio, quod inuiolata eſſe apud eos etiam valet, ad quos miſſa non eſt. Nec enim vel ad Hiſpanos pontificius proficiſcebatur: ſed ab illis hoſtibus interceptus, religionis ergó dimiſſus eſt. Alij non dimitterẽt, ſcio
Guic.lib.14 nec Heluetij illo eodem tempore tantum honorem vel ad ipſos miſſo detulere. Sed de ſacra legatione abundè. De alia enim nobis non de ipſa, dicendum adſumpſimus.

CAP. IIII.

Diuiſiones legationum a perſonis mittentium, ijsq;, ad quos mittuntur.

ALIA Legatio inter hominesmet eſt. Et cum cæteras, tum illam ſuſcipit diuiſionem, vt quædam a libera rep. principéue libero ad ſimilem perſonam ſit: quædam a rep. non libera, non libero principe ad ſimilem remp.

prin-

principémue ſimilem: quædam verò ex his mixta. Qui illi ſint nobiliores legati primæ ſpeciei, notum videtur. Eſt Anglus ad Gallum legatus, & ad Anglum Gallus, alijque eiuſdem rationis. Quanquam regem Galliarum non vſquequaque ſupremi principis nomen ferre, quis dixerit: quoniam in re diuina Romanum ſibi ſuperiorem Pontificem tenet. Idem, quod de Gallo, aſſeuerari & de Hiſpano poteſt, alijſque: qui in hac vna cauſſa religionis ſubiecti viuunt Pontifici; cum in reliquis omnibus maximæ, liberrimæque poteſtatis exiſtant. Cæterùm hoc argumento, non eſſe hos ſummos principes, nolo. Videmus enim Legationibus inde nullum fieri impedimentum: quæ vltrò, citroque commeāt. Quod ſi temporariam, quam appellabimus, legationem ab Regina Angliæ, eiuſdémue religionis alio quouis principe Hiſpanus, aliúſue talis apud ſe non ferat: id ſummi principis iuri nihil detrahit. Siquidem hæc legatio huiuſmodi eſt, vt vbique, quod explanabimus, tolli queat. Quare non efficiat ſublata principem minus præſtantem. Sic ſi vel in re alia ſubiectus ſit principi princeps, quæ tamen legationes non attingat, ego illum, iuxta propoſitum argumentum, ſupremi adhuc dignarim nomine principis. Ecce, Genuenſis reſp. regi Hiſpaniarum in quibuſdam, vt audio, paret: & claſſem eius excipere vel ad vrbem tenetur, & alia quædam facere, patique, quæ ſummi prorſus principis nullo modo ſunt. Genuenſem tamen remp. de gradu illo excellentiſsimo minimè in re præſenti moueo: quoniam ad legationes iſthuc non pertinet. Minus autem nocet, quod maieſtatem alterius alter (vt inquit Proculus) comiter conſeruare obſtrictus ſit: hoc etenim non eſt, vt intelligatur, principem hunc liberum non eſſe, ſed vt intelligatur, illum ſuperiorem eſſe, vtriuſque inuicem dignitate collata; non etiam quòd aliqua alterius in alterum poteſtas ſit. De feudatarijs poteſt controuerti. Sed inſpecto tenore inueſtituræ, res facilè componetur. Hæc porrò diſquiſitio vtilis eſt, ac neceſſaria: quoniam lata ſit iuris differentia inter legatos iſtos ſupremi ordinis, & eos, qui inter ſubiectos habentur. Iſta fuerat ſecunda ſpecies. Quæ qualis ſit, ex iam dictis liquet. Nam ſimul atque liberos nouimus principes, &, qui liberi non ſint, intelleximus. Definitione autem legati noſtra concludo etiā illos, qui ab iſtis prin-

L. 7. D. de capt.

cipibus, ciuitatibuſq; maiori parentibus imperio mittuntur; quia & legati paſsim nominantur, & multis quà legati priuilegijs fru- L.16.D de ve ſig. untur: poſſuntque publici, quo in definiendo vſus vocabulo ſum, appellatione optimè contineri. Tertia ſpecies mixtarum fuit. Et ea quoque reddita perſpicua eſt. Nam aut a non libera rep. vel principe non libero ad liberam remp. principemue liberum legati proficiſcuntur: aut contra. Illud verum eſt, quod hæc legatio vel inter ſubiectos & principem ipſorum eſt; vel principem aliū. Exempla (ne quid cuiquam deſideretur) appono. Primi generis erant prouincialium legationes ad Senatum, ſiue imperatorem Romanum. Erant & quæ a magiſtratibus, alijsque, qui cum imperio extra vrbem agebant, in vrbem mittebantur. Quarum frequens libris noſtris, Liuio, & alijs mentio eſt. Sunt hodie, quæ ab Hybernia, ab qua alia prouincia, ciuitatéue ſubiecta ad Angliæ reginam commeant. Atque hæ ipſæ ad regem Scotiæ (Num id fieri liceat, alia erit quæſtio) miſſæ ſubiectorum ad principem non ſuum ſunt. Hæc verò conuertantur: et exempla ſecundi generis conſtabunt. Mittet princeps ad ſubditum ſuum legatos, ſi quid ſit, ſibi magnæ curæ, & id ſubditum ſentire velit. Retuli capite ſecundo de Cartaginenſibus ſic Syphacem & Aſdrubalem accerſentibus. Alius eſt Liuij præclarus locus, vbi de Flaminio conſule Romam retrahendo loquitur. Ait: *In eam legationem* Lib.22. *(legatos enim mitti placuit) Q. Terentius, & M. Antiſtius profecti.* Et verò illud fiebat, quòd faciem reip. iſti ſecum deferentes, & auctoritatem, non ſignificabant modò principis voluntatem Liu.lib.9.29. 30. ei, ad quem ibant, ſed & imperare poterant, & imperabant. Aſt neque omittendum hîc eſt, quod ſubditorum legationes aut ex munere patriæ ſunt, aut volentibus demandatæ. Item quod ſunt quædam gratuitæ: quædam, quibus legatiuum præſtatur. Et latiùs libro proximo. Nunc alias diuiſiones proſequamur.

CAP. V.

De varijs legationum generibus ſecundùm mandata.

CONFERTVR publicum legationis nomen & publicæ rei, & rei priuatæ cauſſa. priórque legatio vel in nomine manet generis ſui, vel publica etiam appellatur. Poſte-

rior

rior libera nuncupatur. Eſt verò illa aut negotij, aut officij, aut temporis. Altera, quia libera eſt, nulli certæ rei adſtringetur. Dicemus de ipſa capite integro. Legatio ad negotium vel ad pacis eſt, vel ad belli. Pacis negotia nominamus quæque illa ſint. Nam & ad coëmenda frumenta legatos miſſos eſſe, nobis narratum eſt. Liu. l. b. 4. 42. Diony. 7. Quidquid igitur mandatum ſit, quod bellicam actionem non ſapiat, id pacis negotium nuncupauerimus. Et illi profectò ad pacis negotium ſunt, qui ad pacem ipſam ineundam mittuntur. Hi fuerunt, quos ad pacem dandam Verminę filio Syphacis in Africam Liu. lib. 31. Polyb. 2. Senatus Romanus miſit, & qui, cum in magna Græcia ſeditiones aliquando ingentes eſſent, vndiq; ad eas componendas confluxiſſe, memorantur. Legato belli ſuum dabitur caput. Item in officiū legato. Legatos temporis, ſiue temporarios eos dico, qui ad non definitum, certumque negotium, ſed ad tempus ſiue certum, ſiue incertū ita mittuntur, vt dum in legatione degunt, omnia tractent, faciantque, quæ e re mittentis toto illo tempore eſſe contingant. Nam alij in certam aliquam occaſionem legantur, redire iuſſi ſimulatq; quod habent in mandatis confecerint Sed ſunt iſti temporarij ſatis cogniti. Sunt enim quos Reſidentes vulgari ſermone nominare ſolemus. Eſt prætérea legationū diuiſio alia. Nam ſunt quidam legati, qui nullam rem dicere, ſed aliquam agere habent. Qui munera, qui litteras, qui rem aliam ferunt, qui veniunt præſentiam tantùm in re aliqua exhibituri, aliúdue quid facturi: ij, ſi ex potiori parte, ſi ex forma nomina rerum ſunt, factorum legati dicentur. Age, exempla paſsim obueniūt eorum, qui dona ferunt. Liu. lib. 22. &c cui literæ tantùm commiſſæ videri poſſunt, C. Popilius eſt. quem Liu. lib. 45. aduenientem cum rex Antiocus ſalutaſſet, & dextram peteret, tabellas ei Romanus ſcriptum habentes tradit, atque omnium primùm id legere iubet. Quibus perlectis, cum ſe conſideraturum adhibitis amicis, quid faciendum ſibi eſſet, rex dixiſſet: Popilius virga regem circumſcripſit, iuſsitque reſponſum reddere priùs quàm ex eo circulo exceſſiſſet. Paruit rex. Confecta legatio eſt. Si igitur litteras primo quoque tempore is legiſſet: & paruiſſet Senatui, exhibitione tabellarum abſoluta omnis erat legatio: & facti hæc erat. Memorat Herodotus, a rege Scytharum legatum In Melpom. miſſum ad Darium cum aue, ſorice, rana, ſagittis, monitumque

iſta ſolùm deferre, & agere præterea nihil. Ipſe quid frequentiſſimas noſtrorum temporum memorem legationes, quæ in id ſolùm ſunt, vt præſentia ipſarum illuſtre magis reddatur, quod agitur? Cape antiquorum temporum hiſtoriam ex ludis, quos Amphipoli celebratos ab AEmilio poſt victoriam de Perſeo partam, & hiſce legationibus cohoneſtatos, Liuius ſcribit. & eiuſdem Perſei, & regis Pruſiæ celebratas nuptias gratulatione, doniſque innumerabilium legationum, & velut auſpicibus populis nobiliſſimis. eodem ſcriptore. Legationes hæ in eo, quod poſt gratulationem habent, huius ſunt proculdubio claſsis, quam hîc inſtitui. Illa non eſt huius claſſis, quam Budæus pronubam legationẽ appellat libro primo de aſſe: quæque ab eo peragi dicitur, qui matrimonium pro abſente contrahit principe. Nam verbis tota hæc res peragitur. Factitiam (cedò aptius nomen?) legationem confingere etiam poſſumus inuerſo & ſuperbi Tarquinij, & Traſybuli facto notiſsimo. Nam vt illi deſectione eminentium papauerum, ſpicarumq;, nullo verbo, nuncijs reſponderunt: ita nuncios hæc nos introducamus agentes. Cæterùm & belli legatus aliquis huiuſmodi oſtendetur ex his, quæ proximo capite ſcribemus; & in alio, quod erit de Caduceatore. Nunc plenè declarata legati definitio eſt. Poſuimus enim exempla ad verba illa: *rei dicendæ, agendæ cauſſa.* Iam de bellico legato exponam, quod habeo.

Lib.45.
Lib.42.
Liu.li.1. Diog. in vi.Perian. Ariſt.lib.3. Politic.

CAP. VI.

De Legato bellico.

BELLICVM legatum ego dico non ex Ciceronis ſenſu, ſed qui miſſus citra imperium eſt publico, aut principali nomine bellum indicere, aliúdue hoſtile ſignificare. Eum puta, qui in duellum vocare alterũ mitti ſolet. Et is ille Idmon fuit a Turno miſſus ad Aeneam: & quem Pyrrhus ad Antigonum, Antonius ad Auguſtum, Carolus Imperator iſta ætate ad Franciſcum regem Galliæ tranſmiſit. Hocce cur legatos belli non nominem, ſanè non video. Nam quæ ad pacem componendam

Plut.Gnie.

dam legatio eſt, eam pacificatoriam dixerit M. Tullius. & ſi legati cuiuſque munus eſt mandata peragere: qui verò bellum denunciare iuſſus eſt, bellum denuntiat, quî non appellabitur belli legatus? Nam quòd belligerantis principis, ipſiuſque belli pax ſit finis: huius tamen legati bellum denuntiantis is finis non eſt. aut bellici cuiuſque inſtrumenti etiam erit. miles erit vir pacis. immo bellum pax erit. Si res non ex eo, quod ſunt, ſed ex fine, ad quem ſunt, cenſemus, & nominamus; & media cum finibus commiſcere licet. Certè id non ferret Plato, qui paſtoris munus pecorum ſaginatione finit: & refellit Traſymacum, qui ad vtilitatem vſque paſtoris, & domini rem deducebat. Nec inde quoque conſequitur, legatos belli non eſſe, quoniam vetitum legatis eſt, arma tractare. Siquidem bella etiam voce mouemus, tractamuſq;. Et præco ille apud Aeſopum, belli ſe miniſtrum non extitiſſe, hac ratione, quòd arma non ſtrinxerit, nequijt adprobare. Infirma hæc ratio eſt: *Non ferit Legatus. Ergo non eſt legatio belli.* Etenim eo argumento nec bellica ſunt hoſtica verba. Et nos facimus iſtum legatum, qui (vt de Athenienſibus Liuius dicit) verbis, quibus ſolis vti poteſt, bellum gerat. Non igitur viro diuino aſſentior Torquato Taſſo, qui alios eſſe pacis legatos, alios belli non fert, ſed omnem legatum pacis virum eſſe contendit. Atque huius ſunt rationes iſtæ, quas reiecimus. Adducit verò & imaginem (ea eſt ex Siſypho Platonis, aut cuius eſt ille dialogus) de Sagittario, quod vaniſſimus vt hic eſſet, ſi in ſcopum nullum collinearet, ſed, elegans vt pareret, iacularetur: ita & legatus fuerit inaniſsimus, qui in belli finem non intendit, eóque ſuam non dirigit legationem. Aſt hoc argumentum quanti? Mandatum legato ſcopus eſt, quò collineet. Quod ſi mandatum liberum datum ſit: tum aliqua poterit ratione dici, hos etiam, qui bellum denunciant, pacis eſſe legatos. Et ita fortè accipiendus erit Xenophon, qui alicubi ex Socrate ſcribit, legati officium eſſe, amicum ex hoſte eum reddere, ad quem proficiſcitur. Certè in mandato definito, & bellum indicere iubente vera Taſsi ſententia eſſe non poteſt. An pacis legationem appellauero factitiam, ſi haſtam hæc ferat? Videbimus quid iſtud ſiet. Et ſi legatio hæc eſt bellica; qui eadem fungitur, an

Lib.1.de rep.

Lib.31.

Lib.4.de fa. & di So.

non eſt legatus bellicus? Hanc diſceptationem & veritatis cauſſa habere volui, & ne quid ſibi licentiæ legatus in re commiſſa adſumat, quaſi cogitare debeat aliquid præter mandatum. Id, quod ducta hinc origine, Taſſus permittit: & nos ſuo loco refutabimus.

CAP. VII.

De officioſis Legationibus.

IAM de officioſis legationibus diſpiciamus. Ad proſequendum Scipionem officij cauſſa vndique ex tota Sicilia legationes conuenerant. inquit Liuius. Et temporaria legatio plurimum officij habet. Nam quid ſummi principes apud minores quoſdam non habent, niſi quia illi his genus iſtud quaſi obſequij non debent? Videtur officioſa legatio & quæ a prouincialibus mittebatur ad hominem laudandum, qui magiſtratum apud eos geſsiſſet. Mittuntur officij ergó, qui gratulari, dolere, atq; id generis reliqua peragere debent. Miſſa (inquit Tacitus) legatio, quæ gaudio fungeretur. & legationibus teſtatam lætitiam, alibi dixit. Commemorat aliquas Herodianus libro ſecundo, & aliam occiſo Maximino ſolennẽ valde ad nouos Imperatores lib. octauo. Scribit lib. 1. de be. Perſ. Procopius, Coſroem miſiſſe talem legationem ad Iuſtinianum. Sunt apud Liuium plurimæ. qui libro quadrageſimo quinto & candidam his veſtem deſignat. Oroſius, Diodorus Siculus, ille capite vigeſimo libri tertij, hic libro duodecimo, ad Alexandrum quandóque tales ex vniuerſo terrarum orbe profectas legationes recenſent. Et de hoc legatorum gratulatorum genere aliquid etiam I.C. Paulus adnotauit. Similia aliorum exempla nec difficile eſt inuenire, ſed paſſim occurrunt. Miſſi ad Germanicum legati, qui eum mœſtum Auguſti morte ſolarentur. Miſſi ab Ilio ad Tyberium, qui idem officium in morte filiorum ei præſtarent. Legati Syracuſani nuntiarunt, cędem Flaminij conſulis, exercituſq; adeo ægrè tuliſſe regẽ Hieronem, vt nulla ſui propria, regniq; ſui clade moueri magis potuerit. vt eſt a Liuio libro vigeſimo ſecundo relatum

Lib. 29.

Cic. pro Flac.

Lib. 2. hiſt. & lib. 14. ann.

Lib. 3. 7. 26. 27 37 42. 44. 45.

L. 35. D. ex qui. ca. ma.

Tac. lib. 1. ann.

latum

latum. Legationem, qua gratiæ aguntur, an huc non referemus? Miſit quandoque legatos Dauid, qui id pro Saulis agerent ſepultura. Miſſam ab omnibus pagis Heluetiorum legationem, quæ Papæ gratias ageret, a quo titulus, & inſignia defenſorum Eccleſię tributa ipſis fuiſſent, libro vndecimo narrat Guicciardinus. Verũ iſta congerere (& habeo plura ex Liuio) nolo. quamquam in tractatione hiſtorica, quę hęc eſt huius primi libri, quid ſimilis opera improbetur? Sed nec aliàs vana eſt: cum vſitatam rem oſtendere, vanum non ſit: firmamus enim talium legationum ius, dum hoc agimus. Illud tamen nouiſſe, potius eſt, quod etſi legatio iſta officij appelletur, habeat tamẽ aliquam neceſſitatem. Nam a Pruſia obiectum Byzantijs tradit Polybius, quòd iſti legatum ad ſe nullum in gratulationibus Deorum tranſmiſerint. Et Papa, ſi Deo placet, indignabatur quandoque regi Hiſpaniarum, quoniam ad ſe non miſerit legatos rex, qui creato Pontifici adorationem pro more exhibuiſſet. Deputo ego officio id, quod huiuſmodi principes præſtant pontifici. Cæterùm viderint ipſi. Quod dicere habeo, hoc eſt, iure ſequi offenſionem his prætermiſſis legationibus quoniam omni officio præterito id fiat: & contemptus videtur is, in quem ſinimus officia noſtra deſiderari. Finem facio, ſi priùs dico, legationes has non modò eorum eſſe, qui aliena bona gratulantur, dolentue mala; ſed & ipſorum, quibus hæc obtigerũt: dum ſcilicet hi ſuos amicos participes eius, quidquid ſibi acciderit, factos eſſe exoptant. Sunt apud Liuium exempla, & apud Procopium in fine lib. 3. de be. Goth.

Sam. 2. cap. 2.

Lib. 28. 32. 45

Lib. 4.

Guicc. lib. 7.

Lib. 31.

CAP. VIII.
De Libera legatione.

VNA reſtat legationis ſpecies Libera, de qua aliquid exponamus. Libera legatio eſt eius, qui publico legati nomine commendatus, ornatúsq;, re ipſa ob priuatam exijt occaſionem. Similis ſcilicet hic eſt procuratori, quem dicunt in rem ſuam iuriſconſulti. Hæ porrò legationes ornamenti tantum cauſſa impetrari ſolebant, quò gratioſiores ad ſua hi eſſent negotia, qui impetrant: aut honeſtiùs ſe ſal-

tem haberent,vbi degerent, otioúe cum dignitate fruerentur. Sic & voti cauſſa ſoluendi, hereditatis adeundæ, debitorum exigendorum cauſſa concedebantur. Sic Scipioni Naſicæ hanc decretã legationem Plutarchus in Graccorum vita commemorat, vt tutiùs,honorificentiúsq; in Aſia eſſet,quò proficiſcebatur,plebis ob necem Gracchi infenſæ furorem,ſi Romæ ſubſtitiſſet,reformidãs. Et Tyberius, dum Rhodi manet,ad velandam, neſcio quam, ignominiam,conſecutus fertur,vt quaſi legatus ab Auguſto abeſſet. Idemque prætor deſignatus liberam obtinuiſſe hanc legationem ſcribitur;ſimilem, ni malè memini, ob cauſſam,propter quam & Rhodum ſeceſſit.Cicero etiam,quò magis a curis quibusque vacuus dare commẽtationibus operam valeret, voce Attici in libro primo de legibus legationem iſtam, ceſſationemque liberam, & otioſam ſibi exoptat.Habuit verò (quod dixit in prima Philippica) hoc ipſum ius legationis liberum:ſed dum arma fugit Antonij.Quæ ad rem hiſtoricam ſatis ſunt.Poſſum etenim de Lentulo de Othone,de alijs dicere,qui libera legatione abfuerunt.Nomen porrò liberæ legationis inde(vt Manutius ſcribit)ortum videtur, quòd introire in vrbem, & rurſus exire liberam legationem habentibus liceret. Nam cæteri honores, qui extra vrbem gererentur,ingredientibus in vrbem deponebantur. Cuiacius inde dictã docet,quòd nullo ſit finita tempore, ſed redire,& abire ei,qui impetrauerit,quandocunq; liceat.Id, quod mihi perperam ſcriptum videtur.Nam lege a Cicerone lata annuum tempus hiſce legationibus præſtitutum fuiſſe, certo certius eſt. Et doctiſſimus (vt ipſe Cuiacius appellare hominem ſolet) Turnebus lege Iulia datum quinquennium tradit.Dixiſſet itaque Cuiacius,quòd nullo fuerit finita tempore,quòd redire,& abire quãdocunque licuerit ei, qui liberam legationem impetraſſet, ſic nominatam fuiſſe, & ſcripſiſſet benè.Quamquam quid dico,Scripſiſſet?exſcripſiſſet. Budæus enim ſcripſit. Inquit iſte ſic dictã legationem hanc,quòd nullo tempore, vel loco circumſcripta, nullis rationibus reddendis obnoxia ſit. Adde tu,quòd impetrata an vti impetrator voluerit, ſuæ poteſtatis eſſet.Altera enim quæ ob cauſſam publicam iniuncta erat, neceſſaria dici merebatur, quam non obire,haud licebat. Alexander ab Alexandro, qui ſcribit, dictam illorum quoque liberam

Cic.in ora. con. Rull. — *Suet in Tyb.* — *Val. lib.5. c.3. Suet.lib.8.Cic. lib.12.fam.* — *Lib.9.Obs..c. 29.* — *Lib.3. de legi. vbi Turneb.* — *Lib.6.Geni.c.3*

beram legationẽ qui difficillima quæque explicaturi in prouincijs a Senatu nomine legatorum mittebantur; illam rationem addit, quòd ſoli ſine conſule, aut prætore legati munere fungerẽtur. Cæterùm fateor incognitum mihi, vbi iſta legatio iſto nomine nuncupetur. Auctorem itaque (vt dicitur) pro re pono. Duos verò lictores obeuntibus liberas legationes dari ſolitum, in oratione pro Quinctio, notatum eſt ab interprete. Qui quoque docet, Senatoribus neceſſariò aliquam huiuſmodi remiſſionem impetrandam fuiſſe: quoniã Roma abeſſe aliter non concedebatur. Et in libro de Senatu, ad finem, Senatusconſulto & de re iſthac priuata deliberatum, ſcribit elegantiſſimè. *ex ep. Caiui lib 12. fam.* *Manut. in ep. 1. lib. 11. Fam.*

CAP. IX.

Quorum eſſet apud Romanos cura mittendi, & excipiendi legatos.

EXPLICATIS omnibus legationum generibus, ſequitur, vt reliquam tractemus hiſtoriam, atq; nouo huic operi principium illud tribuamus: Qui Romæ iſtam partem cum mittendæ, tum excipiendæ legationis curarent. Siue enim ſit Romana hiſtoria omnium nobiliſſima, & cognitu digniſſima: ſiue ea mihi ignota eſt minus: de ipſa certè explicatiùs, quàm de alijs, dicendum videtur. Propoſitam autem quæſtionem diſſoluit Polybius, qui in Senatum perſpicuè curam hanc totam reiecit. Ait enim libro ſexto quod a Romanis ſi legatio aliqua mittẽda fuiſſet, quæ vel aliquos conciliaret, vel hortaretur, vel bellum denuntiaret, aliudúe quid ageret, Senatui id muneris incubuiſſet. Et ſanè ita ſe rem habere vniuerſa Liuij hiſtoria conteſtatur. Vbi legationes a Senatu miſſas & ſemper, & multas admodum legimus. Nec verò huic ſententiæ repugnat Varro, qui Senatus, populique nomine legatos miſſos adſeuerat. Nihil enim communi nomine miſſos, & lectos tamen a Senatu fuiſſe, vetat. Cicero id voluit populo communicare illo legum ſuarum verſiculo: *Imperia poteſtates, legationes, cũ Senatus creuerit, populúſue iuſſit, ex vrbe exeunto*. Et non tantùm ipſe per ſe Senatus deligebat legatos, ſed & per Conſulem aliquã- *lib. 4. de lin. lat* *lib. 3. de legi.*

Lib.31. do idem expediebat. Conſuli (inquit Liuius meus) a patribus permiſſum, vt quem videretur ex ijs, qui extra Senatum eſſent, lega-
Lib.29. tum mitteret ad bellum regi indicendum. Et alibi. Conſules decem legatos, quos ijs videretur ex Senatu legere, quos cum prætore mitterent &c. A Senatu etiam, qui Romam veniebant, ex-
Liu.lib x.33. 37.39.40 45. ceptos legatos, docet Polybius, Liuiusque: & in Senatum a Conſule introductos, aut hoc abſente, a prætore, ſiue vrbano, ſiue peregrino, quem id agere Senatus iuſſiſſet. Sed & a Dictatore, equi-
Ioſeph.lib.14. antiq.c.16. tumúe magiſtro, vt alij indicarunt. Immo & ab his ſcio legationes in Senatum deductas, qui miſſi ipſi fuerant ad aliquem impe-
Liu.lib.39. ratorem re benè geſta, & redierant. Sed & illud fecit prætor. Pa-
Liu.lib.23.30. 37. tres de legationibus conſulebat, monebatque, vt ſi quis quid volu-
Liu.lib.8.37. &c. iſſet legatos interrogare, id ageret. Quare Senatorum frequentes huiuſmodi interrogationes videmus. Item reſpondebat legatio-
Liu.lib39. 40. 43. nibus & prætor: ſed id tamen, quod Senatus iubebat: cuius ſcilicet hæc erat poteſtas reſpondendi, quod videbatur. Quique non magiſtratibus tantùm aut potuit, aut voluit negotium hoc deman-
Liu.lib.34. dare, verùm & vni mandauit Senatori. Eius moris, cuius libro quinquageſimo ſexto meminit Dio, quod Senatores tres legationibus reſponderent, ego aliud nullum teſtimoniũ habeo. Et fieri poteſt, vt hic mos fuerit recèns inductus. Quando tamen mox
Suet.in Claud. & Liu.lib. 1. nullis cum arcanis dominatio exercebatur, ipſos imperatores reſpondiſſe in Senatu legationibus noui: & regum temporibus reges. De rep. ſunt, quæ diximus. In qua nec Conſules ſine iuſſu Se-
Liu.lib.7. natus id ſibi adſumere valuerunt: nec vel illud facere, vt populus etiam legationem audiret. Quod ex Publicola Plutarchi liquet,
Lib 5.7.9. 27. & ex Liuij non vno loco percipimus. Et de reip. tẽporibus quærendum ſanè fuit propter mixtam illam trium rerump. formam, & admirabilem nexum. Hoc ergo oſtendimus in præſentia, totã Senatus, liberamque fuiſſe curam mittendi, excipiendi legatos, & qualiter agi cum ijſdem deberet. Quæ & ex alijs mox firmabun-
Liu.lib 37.42. Vitur.in Scip. tur. Illud notiſſimum puto: ab ducibus, magiſtratibuſque, qui extra vrbem erant, legatos mitti conſueſſe, excipique ad ſe veniẽtes: & id quidem modò præſente cõcilio factum, modò arbitris omnibus remotis, vt vt libuit imperatori, magiſtratuiúe. Sed non o-
Not.pro.imp. Ro. mitto dicere, quod ſub Auguſtis magiſter epiſtolarum legationes ciuitatum

ciuitatum tractabat: & quod ſub magiſtro Officiorum agentium in rebus (aliunde petatur horũ numerum explicatio) interpretes omnium gentium erant. Magiſtratum verò horum interpretum extitiſſe, indicat Procopius ſatis libro ſecundo be bello Perſico. Nunc videamus de legandi modo.

CAP. X.

Diſceptatum de loco Taciti, an ſorte ducerentur, qui legationes obirent.

LEGATOS, temporibus reip. flagitantibus, mitti ſolitos, & alij ſcribunt, & probè nobis compertum eſt. Illud ego non intelligo, quod libro quarto hiſtoriarũ Tacitus ponit; magnam agitatam in Senatu controuerſiam, ſi electione, an ſortitione ſumi legati debuiſſent, qui Veſpaſiano occurrerent: & quod pars vicerit, quæ ſortiri legatos ſecundùm vetera exempla voluit. De his mihi exemplis non conſtat. Et mirum eſt, nullum nec expreſſum, nec eius rei veſtigium aliud in toto Liuio extare, ipſóue Tacito, alijſque, quos legere contigit, rerum Romanarũ ſcriptoribus. Magiſtratus ſortitos prouincias, templorum dedicationes, ius dicendi dictatorẽ; milites etiam ſorte, non delectu, quandoq; vocatos legimus, & id generis reliqua. Sorte euenire iuriſditionem, rem illam illi, & euenire abſque ſortis mentione ſcriptum videmus. Nullum deprehendimus huiuſmodi verbum in hoc, cuius tamen mentio eſt frequentiſsima, negotio legatorum. Quid? Maiores natu viros miſſos lego, nobiliſsimos, decretos, lectos, aptos præ cæteris rei gerendæ. Quid Ciceronem, Seruium, alios tanta cum diſquiſitione electos, legatos memorem? Veriſimile profectò mihi non fit, vt ſorte ducerentur, qui legationes obirent. Etſi hoc dicat Tacitus. Nihil hîc diſputo de eo, quod fieri debet: nam eligi legatos oportere, non ſorte duci, Ariſtoteles lib. 4. Politicorum probat. Et Socratica collatio, quam idem alibi ponit, oppidò quàm facit ad rem præſentem. Sorte ſcilicet legatos creare non aliud eſſe, quàm & athletas ſorte eligere, & nautas: quaſi non ex viribus, & ex peritia, ſed caſu & nauigatio, & lucta peragatur. Etiam ſapientiſsimus

Tur. ad lib. 3. Cic. de leg. Liu. lib. 42.

App. de be. Hiſp.

Liu. lib. 2. 3. 21. 29. 31. 42. Phil. 9. 12.

Lib. 2. Rhet.

A.lu.Colet.

Neſtor Plutarco reprehenditur, quòd eligere de quibuſdam heroibus præſtantiſsimum cum deberet, rem fortunæ & ſorti commiſit. Cæterùm defendi Pylius poteſt. In noſtro argumento eorum apud Tacitum oratio, qui ſortem obtrudentibus aduerſabátur, partem hanc ſatis confirmat: & noſtra libri tertij cuncta diſputatio rem exploratiſsimam faciet. De re igitur geſta hîc ſermo eſt. Quid ergo? An de ea legatione loquitur Tacitus, quæ ab vnoquoque confici valuit? Magiſtratus quidem, qui peritia non indigent, & arte, minimos etiam tribui ſorte poſſe, ac ſolere, tum ex Ariſtotelis non vno loco, & Platone, tum noſtra etiam ratione cognoſcimus. Num ſtatuimus ius hoc ſortitionis ordinarium in quæſtione noſtra, & extraordinarios caſus, quos retuli? Non probo. An igitur ſequutum Tacitum opinabimur illius diſceptationis rumorem, nec quidquam intuitum rei veritatẽ? Si nota hiſtorico non aſpergitur, ſenatuique vniuerſo. Non definio. Vtrum ergo placet magis, ſortem hîc adhibitam dicere eo modo, quo in alijs relatis ſpeciebus ſcimus adhibitam? & lectos, qui poſſent legatione fungi, ſorte ductos, qui fungerentur? Quid ſi nec illa lectione opus fuiſſe in Senatu Romano exiſtimamus? Etſi ſub Imperatoribus Senatus ille nec regum, nec deorum, vt olim, perſonis conſtabat, at longè deterioribus: quod ipſe Tacitus notat Annalium primo. Nihil extrico. Doctiſsimi interpretes nec attingunt. Ego & illud ſcio, quod aliâs deligi ex omni ordine, non ex Senatu tantùm, legati ſolebant: atque eò reſpiciunt Virgiliana

A. lib. 6. Polit. Lib. 1. R. S. & in Rh. ad Alex. P. lib. 6. de legi.

Liu. lib. 9. 4. 5.

Seru. ibi.

Tum ſatus Anchiſa delectos ordine ab omni
Centum oratores &c.

Aſt hinc manum tollo, vbi nil niſi vmbras delineamus.

CAP. X.

De Legationum ſolennibus.

CEREMONIAM porrò aliquam in mittenda legatione ſolitam adhiberi, monet nos Cicero in oratione, quæ eſt pro Roſcio Amerino. Vbi tamen de omni legatione ab oratore id dictum inuidioſè, interpretes tradunt: & in

Hot. Freig.

ijs

ijs legationibus ſolùm verum fuiſſe, quæ ad fœdera facienda, aut leges pacis dicendas, bella indicenda mittebantur. Sed quæ hæc ceremonia fuit? Libet rem totam exſcribere ex Liuio. Fœdera (inquit ille libro primo) alia alijs legibus, cæterùm eodem modo omnia fiunt. Fœcialis regem ita rogabat: iubésne me, Rex, cum tali fœdus ferire? Nominabat eum, quo cum fœdus fuerat feriendum. Iubente rege: Sagmina, inquiebat, te, Rex, poſco. Rex dicebat: Puram tollito: Fœcialis ex arce graminis herbam puram afferebat: poſtea regem ita rogabat: Rex, facisne me tu regium nuntium populi Romani Quiritium? Vaſa, comiteſque meos? Rex reſpondebat: Quod ſine fraude mea, populique Romani Quiritium fiat, facio. Fœcialis aliquem patrempatratum faciebat, qui ad iuſiurandum patrandum, id eſt ſanciendum fiebat, & verbena, caput capilloſque tangens fœdus multis verbis longo effatis carmine peragebat. Legibus deinde recitatis. Audi (inquiebat) Iupiter, & tu audi (appellabat illum, quo cum fœdus percutiebat) vt illa palam prima, poſtrema ex illis tabulis, ceráue recitata ſunt, ſine dolo malo, vtique ea hîc hodie rectiſsimè intellecta ſunt: illis legibus populus Romanus prior non deficiet. Si prior defexit publico conſilio, dolo malo, tu illo die Iupiter populum Romanum ſic ferito, vt ego hunc porcum hodie feriam: tantoque magis ferito, quantò magis, potes, polleſque. Id vbi dixerat porcum ſaxo ſcilicce percutiebat. Hæc ex Liuio. Et eadem in pacis conuentione ſeruata, idem in fine trigeſimi libri oſtendit. Ipſo autem libro primo belli indicendi ritus ſic deſcripſit. Legatus, vbi ad fines eorum venit, quibus indicendum eſt bellum, capite velato: Audi, Iupiter, inquit: audite fines: (cuiuſcunque gentis ſunt nominat) audiat fas. Ego ſum publicus nuncius populi Romani, iuſtè, piéque legatus venio: verbiſque meis fides ſit. Peragit deinde poſtulata, propter quæ, ni fierent, bellum mox erat indicendum. Inde Iouem teſtem facit: ſi ego iniuſtè, impieque expoſco iſta, tum patriæ compotem me nunquam ſinas eſſe. Hæc cum fines ſupraſcandit, hæc, quicunque ei primus vir obuius fuerit, hæc, portam ingreſſus, hæc, forum ingreſſus, paucis verbis carminis, concipiendique iuriſiurandi

Vide & Gel. lib. 16. c. 4.

mutatis, peragit. Si poſtulata non fiunt diebus tribus & triginta (tot ſolennes ſunt) peractis, bellum ita indicit: Audi Iupiter, & tu Iuno: Quirine, Dijque omnes cœleſtes, voſque terreſtres, voſque inferni audite: Ego vos teſtor, populum hunc iniuſtum eſſe, neque ius perſoluere. Sed de his rebus in patria maiores natu conſulemus, quo pacto ius noſtrum adipiſcamur. Cum his Romam ad conſulendum redit. Confeſtim rex patres conſulebat. Decreto bello, fœcialis haſtam ferratam, aut ſanguineam præuſtam ad fines eorum ferebat, & non minus tribus puberibus præſentibus dicebat: Quod hic populus aduerſus populum Romanum Quiritium fecit, deliquit, quod populus Romanus Quiritium bellum cum hoc populo (nominabat populum ſemper) iuſsit eſſe, ſenatuſque populi Romani Quiritium cenſuit, conſenſit, conſciuit, vt bellum cum hoc populo fieret: ob eam rem ego, populuſque Romanus huic populo, hiſque hominibus bellum indico, facióque. Id vbi dixiſſet, haſtam in fines eorum emittebat. Hæc de ſolemnibus. quæ (vt arbitror) non fruſtra deſcripſi. Declaranda verò in ipſis quædam ſunt.

CAP. XII.

De Fœciali, & Patrepatrato.

FŒCIALIVM fuiſſe Romæ collegium, libro ſecundo Dionyſius ſcribit, & id Romanorum inuentum. Qua in re ſibi adſtipulantem habet Plutarchum, qui acceptum inſtitutum hoc Numæ refert. Fuiſſe tamē & Samnitibus fœciales indicat in fine libri octaui Liuius. Et morem illum haſtæ emittendæ etiam Perſarum commemorat Ammianus. Sed hæc ſtare ſimul poſſunt. Illud videndum eſt, quod habet Liuius, quî cum ſupradictis conueniat auctoribus. Illi & alia, & rationem indicendi belli fœcialibus a Numa expoſitam tradunt. Liuius Numæ inſtituta perſequitur diligentiſſimè: nec tamen rem tantam illi regi adſcribit: immo adſcribit diſertè Anco. Vt tamen (ait de iſto) quoniam Numa in pace religiones inſtituiſſet, a ſe bellicæ ceremoniæ proderentur: nec gererentur ſolùm, ſed etiam

Lib. 19.

etiam indicerentur bella aliquo ritu, ius ab antiqua gente Æquicolis,quod nunc Fœciales habent, deſcripſit. Mirum mihi præterea eſt,quod in tanta inopia geſtorum Numæ Liuius de nullo fœcialium inſtituto ſcribat:& illud magis,quod nec alibi vel verbũ ſcribat. Verùm alijs,qui ſcribunt,in re iſta ſtemus,& Numæ inſtitutum credamus: nam meminit & Liuius fœcialium mox ſub Tullo.In priori eſt difficultas:nec video,quid dicamus aliud,quàm quod & de Hercule,& de ipſo hoc Numa,& de primis rerum inuentoribus dici ſolet. Quæ vnius heroica illa facinora Herculis memorantur, vnius non fuere:ſed collata in vnum ſunt vel præſtantiorem,vel quem talem reddere auctores voluerũt. Sic inſtituta religioſa ad Numam referantur omnis religionis fontem, atque parentem: quo ille inſignior oſtendatur. Id quod accidere primis rerum auctoribus ſolet, vt ipſis & ea dentur, quæ ab alijs poſtea inuenta ſunt. Atque Numæ tantum contigiſſe, maximè ſi de alio auctore nõ liquebat, me legiſſe,ſcio. Cætera de fœcialium & nomine,& munere non libet exſcribere. Qui iſthæc cupit,Dioniſium,Plutarcum,Nonium adeat.Ego quæ ſunt legati propria abſoluo. Legati nomen fœcialis tenet cum ad fœdus feriendum, aut indicendum bellum proficiſcebatur, ad res repetendas, ad iubendum alicunde aliquem decedere, ad aliquem dedendum. Vt Liuium liquet verſantibus.In quo illud obſeruatione dignum eſt *Lib.9.10.38.* quod ſine duobus fœcialibus factum fœdus inutile prorſus exiſti- *Lib.31.36.* mabatur: bellum indici per alios etiam ritè potuerit. Item quod per fœciales tum res repetebantur, cum per alias legationes abſolui nihil potuiſſet. Quod colligo ex quarto Liuij,& ex eo, quod miſſio fœcialium erat præambulum quaſi ad bellum. Porrò, fœciales quatuor ad res repetendas proficiſci ſolitos, Nonius ſcribit. Sed multa de fœciali.De Patrepatrato vnum.Creari iſte non poterat niſi & patrem haberet, & filios. Quod mihi ex Plutarchi problematibus retulit Alciatus,dum illud Catullianum. *Lib.11.Parr. c.9.*

Quæ ſuis careat ſacris,
Non queat dare præſides
Terræ finibus,&c.

in nomine præſidis de patrepatrato accipit, qui fœcialibus præfuerit.

CAP. XIII.

De Sagminibus & Silicibus.

FOECIALIBVS herbas traditas vidimus, easque Sagmina, gramen & verbenas eſſe nominatas. Quæ igitur iſtæ herbæ? Vna, an plures erant, vt nomina? Nominat Galenus Pamphilum quendam, qui herbas, quas vidiſſet numquam, ex libris depingeret: & præconem indicia prouocantem, ait, ſæpe oculis obuerſantem rem non cognoſcere, quam minutiſſimè alijs deſignat: & eum Pamphilum herbas non agnouiſſe, ſi ſibi quiſquam oſtendiſſet, quas depinxerat. Vereor autem, ne & ego aliquis huiuſmodi ſim in tractatu iſto. Sed, ſi quod poſſum, id & communico alijs, &, quale ipſum ſit fateor: cedò, vbi eſt vitium? Plinius non obſcurè herbam vnam opinatus eſt tribus illis nominibus ſignificari, & quarto adhuc, quod eſt Verbenaca. Sed iſtam cum a Verbena peritiſſimus Dioſcorides longè diuerſam, maximè foliorum colore conſtituat, quî Plinio adſentiemur? Verbena numquam ſingulari ramo, radicéque vnica (quod ſæpe Verbenacæ euenire Dioſcorides tradit) inuenta eſt, ſed pluribus ſemper. Magnitudo item, & facultates diuerſiſſimæ ſunt Dioſcoridi: Plinius vtrique tribuit eaſdem vires. Non eſt igitur Verbenaca in rem præſentem ducenda. Errandi autem cauſſam Latino fuiſſe crediderim, quòd & Verbenacæ, & ſacræ (hæc verbena eſt) herbæ idem Periſtereon nomen a Dioſcoride tribuatur. De Gramine & Verbena maius negotium. Liuius enim videtur eandem facere: & tamen differentia longè maior Verbenæ cum Gramine eſt, quàm cum Verbenaca. Opinari non poſſumus, graminis nomine vti Liuium pro herba: inquit enim. *Ex arce graminis herbam afferebat.* Sed & gramen, & verbenam reor adhibita ex illis Virgilij.

Lib.6. de Simp. me.fa. — *Lib.22.c.2.* — *Lib.4 c.56.& 57.* — *Dioſc.lib.4.c.58.* — *Lib.12.*

Rutulique viri, Teucrique parabant
In medióque focos, & Dijs communibus aras
Gramineas: alij fontémque, ignémque ferebant
Velati lino, & verbena tempora vincti.

Scal.lib.4.poe.c.9.

Sagminum nomen & herbæ proprium: Verbenæque ſic dicebātur antiquitùs, quòd in loco ſancto ſecarētur: vt ait Feſtus. Vel, quod

quòd ad fœdera ſancienda adhiberentur. Aut quia (id voluiſſe Marcianu; I. C. videtur) Sanctos, id eſt, defenſos, atque munitos facerent eos, qui ipſas portabant. Nam cum ſua terra ſolitas euelli, non ſecari, Plinius tradit. Hæc de ipſa herba. Sequitur illud: Cur ea Romani hîc vterentur. An quia Æneadæ Romani, & Æneadũ genetrix Venus, & Veneri Verbenas adolebant, & Venus conciliatrix quædam diſcordiarum eſt? Certè altera Veneris arbore Myrto in re iſta vſi ſunt antea: Si Alexandro ab Alexandro ſtamus, qui id ponit libro quinto, capite tertio Genialium. Et gramen, altera herba, Marti alteri parenti ſacrum fuit. Illam ſententiã iuuat, quod in fœdere iciendo, & pace ineunda, non in bellis indicendis fuerat Verbenarum vſus. Vt ego ex eo Liuij loco, quem de ritu belli indicendi recitaui, collectum verius credo, quàm quod Plinius, Feſtusque contrarium notant. Lanæ filo bellicos hos legatos facit velatos Liuius. Attamen, ſi noſtra non placet opinio; adſit Plinius, qui ad legatorum auctoritatem augendam, non quidem Verbenas nominat, ſed herbas datas dicit: quaſi vt perhiberetur auctoritas tanta, quanta ſurdis etiam herbis, mutisque indicari queat. Mihi placet ratio propior. Et ea firmatur, quod Verbena (vt ipſe teſtatur Plinius) priuilegijs pluribus donata eſt. Plinio tamen concinere videtur I.C. dicens: Sanctum eſt, quod ab iniuria hominum defenſum, atque munitum eſt. Sanctum autem dictum eſt a ſagminibus. Sunt autem ſagmina quædam herbæ, quas legati populi Romani ferre ſolent, ne quis eos violaret. Quid quid verò eſt: habes iam eccur herba, iſta herba, & in quem finem vterentur legati. Nec de ipſa ſunt plura. Cum Silicibus longam moram non facio. In quem vſum portarẽtur, patet ex Liuij non vno loco. Porcus feriendo fœdere feriebatur. Dixit & Virgilius libro octauo.

L.8.D. de re. diu. *Lucr. lib.1. Vir lib.8. Horat. od. 19 lib.1.* *Alc. embl. 26.* *Lib.25.c.9.* *Lib.1.9.*

Et cæſa iungebant fœdera porca.

Credo autem ſoni vaſtioris vitandi gratia diuinũ poetam vitaſſe maſculinum genus: non quòd ſacra voluerit præſtantiora deſignare, quæ victimis fœmininis adſumptis talia ſunt. Porcum autẽ cur cæderent Romani, opinor ex Coruini libello de Romana hiſtoria poſſe explicari. Inſtituti mei non eſt, vlteriùs progredi. Ab Annibale agnum in ſolenni quodam promiſſo mactatum, legi.

Reſtat,vt,quid priui nomine intelligi putem,paucis perſtringam. *Lib.30.* Nam inquit Liuius: *Fæciales cum in Africam ad fœdus feriendum ire iuberentur, ipſis poſtulantibus Senatusconſultum in hæc verba factum eſt:vt priuos lapides ſilices,priuasque verbenas ſecum ferrēt. &c.* Ego priuos lapides puros,& priuas verbenas puras interpretor. Dicebat enim Rex: *Puram tollito*. Ait Liuius: *Puram attulit.* *Gell.lib.x.c. 20.* Et conuenit interpretatio cum Grammaticorum opinione, qui priuum eſſe proprium docuere,& inde priuilegij nomen conſtare,quòd propria alicuius lex eſt,non communis. Et iſti quoque lapides, & iſtæ herbæ non communes, ſed propriè priuatimque ad rem præſentem exciſi,euulſæ fuerint.Nam quid eidem auctori noſtro ſunt alibi priuæ tunicæ? *in lib.7.* Puras, nouas ego exiſtimo. Vt vaſa pura in Captiuis Plauto omnino ſunt, quæ in alio vſu non fuerunt. Voluerint ſcilicet Romani ſic & religionem plenè colere. Quare & ex loco ſacro omnia iſta accipiebāt.Lapides(auctore Feſto)ex templo Iouis Feretrij.Vnum porrò legatorum verbenā portaſſe Plinius ſcribit.Vnde & Verbenarij nomen illi. Tandem moneo ex Feſto,Conſulem mox, Prætoremúe hæc legatis in libera rep.tradidiſſe, quod olim reges fecerunt. *Lib.30.* Et Feſtum Liuius comprobat. Itaque in tota illa, quam capite vndecimo deſcripſimus,ſolenni legationis deſignatione,cùm in rep.ſumus,expungēdum regis nomen erit,& Conſulis,vel Prætoris introducendum.

CAP XIV

Explicatum principium L.7.D.de ſup.leg.

DIXIMVS de ijs legationibus, in quibus adhiberi ceremoniæ ſolebant, & de his ceremonijs non pauca. Iam vnum, quod commune eſt omnium legationū videamus. Scribit Celſus I. C. originem fuiſſe Supellectilis.quòd olim his,qui in legationem proficiſcerentur, locari ſolerent,quæ ſub pellibus vſui forent.Ego,vt rectè omnia capiam; *Lect.ant.lib. 27.c.14.* nec Rhodigino aſſentiar, qui pro *in legationem* reponit *in legionem*: in eo tamen, quod de locatione ſcriptum eſt, ſubſiſto paulùm.Docet libro trigeſimo Liuius, tabernacula,& militarem ſupellectilem Conſuli præberi, morem fuiſſe.Et libro quadrage-

ſimo

ſimo ſecundo, Omnes magiſtratus, inquit, mulis, tabernaculiſq; & omni alio inſtrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent ſocijs. Priuata hoſpitia habebant: ea benignè, comitérque colebant: domuſque eorum Romæ hoſpitibus patebant, apud quos ipſis diuerti mos eſſet. Legati, qui repentè aliquo mitterentur, ſingula iumenta per oppida, iter quà faciundum erat, imperabant. Aliam impenſam ſocij in magiſtratus Romanos non faciebant. Hactenus Liuius. & in eandem ſententiam Cicero Verrina ſexta. Atque quod hinc volo, dari eam ſupellectilem ſolitum proficiſcentibus in legationem, id liquidò & ex ea formula patet: *Facis me regium nuncium, vaſa, comitéſque meos?* Militare enim verbum *vaſa*, &, *vaſa colligere*; quo militaris ſupellex ſignificatur. Et ita euanidum eſt, quod Rhodiginus ſubſtituit. Si enim eadem ratio, quæ firmat etymologiam, legendo *in legionem*, firmat etiam lectionem receptam: quid hanc immutamus? quid in deterius mutamus? Cedò, an vſitata phraſis, *in legionem proficiſci.* Proficiſcentibus ergo cum poteſtate, aut legatione iſthæc dabantur. Dabantur autem (vt ſcribit Liuius) ne quid oneris ſocijs apportaretur: aut (quod docet Cicero) occaſio auarè agendi præbita magiſtratibus eſſet, ſi emere in prouincijs ea ipſi debuiſſent. Nos, ad legatos quod attinet, commentari aliam probabilem cauſſam poſſumus: quod ſcilicet proficiſci legati viderentur, quaſi nullus eos eſſet hoſpitio excepturus. Nam aut ad hoſtes ibant; & ab his quid hoſpitalitatis officia expectaſſent? Ipſi Romani nihil comiter, nihil hoſpitaliter hoſtium legatis, aliorúmue, in quos fuiſſent infenſi, præſtare conſueuerunt. *Liu. lib. 45.* Aut ad amicos ibant: quibus vel oneri eſſe noluerint; vel ab illis pendere non placuerit, vt ſub diu degere legatio, inúe ſordido diuerſorio perindecorè debuiſſet, ſi amici aliter non proſpexiſſent. Idem noſter hiſtoricus quandoque narrat, Senatori Romano quid factum Præneſte ſit. *Liu. lib. 42.* Audimus Ciceronis quærelas ea Verrina ſexta. Habet in ſelectis de legationibus Polybius duriora, quæ C. Fannius legatus paſſus in Illyrio eſt. Frigida amicorum ſtudia ignoramus? Quid quoque (ſit alia ratio) ſi cogitarunt Romani legationem, quàm poſſent, maximè a ciuilibus commercijs continere; cum ſit legatio iuriſgen-

tium? Hæc verò illuc ſpectant omnia, vt cognitam mihi (quod dixi) oſtendam totam Celſi ſententiam; & ipſam eſſe veriorem in lectione recepta. Nec enim iſtæ rationes ad Cœlianam quadrant. Quod ergo vnum de locando ſcribitur, illud me remoratur. An enim facerent ſumptuum quoque iacturam legati? Opinari licet verbum *locandi* pro *commodandi* verbo vſurpatum. Et eſt adfinitas vtriuſque maxima: cum vtroque vtenda res concedatur. Atque ſic vſum Liuium exiſtimo libro quadrageſimo tertio. *Munera* (inquit) *binûm millium æris legatis miſſa, & vehicula Miccioni* (is vnus legatorum erat pedibus captus) *publicè locata, quæ eum Brunduſium commodè perueherent*. Et libro præcedenti. *Ea regis legatio grata Senatui fuit. Decreuerunt, vt Cn. Sicinius pr. ædes inſtructas locaret, vbi filius regis, comitéſque eius habitare poſſent.* Poſſes etiam apud I. C. accipere verbum *locandi* pro altero *conducendi*. Quod frequens fit. nec non faciunt loci Liuiani. Atque ita nihil eſſet, quod nos moraretur: nam ab alijs, prætore, quæſtore, non ab
Liu. lib 45. ipſis legatis conduci illam ſupellectilem diceremus. Potes & nihil deflectendo a proprietate verbi, locatam legatis ſupellectilem credere: quoniam & legatiuum ipſis daretur. Si ſcilicet Romani ſic agebant cum ſuis, vt cum ſuis agebant prouinciales, & Athenienſes cum ſuis. Prima expoſitio magis placet. Et ſanè in verbo obiter vſurpato ſuperſtitioſos eſſe non decet.

BIRMINGHAM LAW SOCIETY

CAP. XV.

De loco, temporéque excipiendarum legationum.

CVM Senatus hanc curam eſſe dixerimus excipiendi legatos, qui Romam mittebantur: videtur, exceptos vbique fuiſſe loco apto habendo Senatui. Quod & verum, & notiſsimum eſt. Aptus autem locus qui fuerit, mei propoſiti non eſt declarare: &
Liu. lib. 45. facit plenè in libro de Senatu Manutius. In Comitio video quoſdam

dam ſtetiſſe expectantes, vt in Senatum introducerentur. Erat autem fori pars Comitium ante Curiam. Erat verò & Græco- *Egn in Vi.Cap* ſtaſium, vbi ſedere ſolitos legatos, ex Varrone notant. Inde intra Curiam, vbi erat Senatus, vocabantur: Et hæc, ſi oppidum legatos intrare volebant. Oppidum ea Romæ pars dicta fuit, quæ intra mœnia erat. & ab vrbe differebat. Etſi noſtris iuriſcon- *L.2.de ve.ſig.* ſultis aliter viſum ſit, & alijs, ipſique Liuio hæ appellationes confunduntur. Excipere autem in oppidum legatos hoſtium moris non fuit: nec aliquarum gentium externarum admittere quandoque placebat. Hos extra vrbem excipiebant vel in æde *Liu.li.3.4.37. 39.41.42.&c.* Bellonæ, ſenaculóue iuxta poſito, vel in Apollinis, fortè & in *Feſt.* templo Herculis, alteriúſue peregrini Dei, quod eſſet poſitum extra vrbem. In quibus templis & ciuibus his Senatus dabatur, qui, cum in imperio eſſent, ingredi vrbem legibus vetabantur. Fortè tamen & iſtis erat in vrbem aditus: ſi placuiſſet Senatui. Atque ſat ſcimus, Cyneam Pyrrhi legatum ingreſſum. Facit e- *Flor.lib.1.* tiam quod de legatis Perſei, Cotyſque ſcriptum a Liuio eſt libro quadrageſimo ſecundo, & quadrageſimo quinto. Certè attendebant Romani multum huic conſuetudini, iurique. Et Nu- *Dio in ſelect.* mantinorum legatos non admiſerunt, ne fœdus, quod nolebant, confirmare eo facto viderentur. Cur verò legati hoſtium in oppidum non admitterentur, ratio manifeſta eſſe poteſt: nempe quia & priuatos inimicos nec recipimus in priuatas ædes, nec recipiebant ex antiqua formula. Ijdem legati hoſtium, ſi in caſtra veniſſent, in Quæſtorio excipiebantur. Vt ex manuſcripto Hygino alij nobis renunciarunt. Hactenus de loco. De tempore *Lip.ad lib.1. ann.Tac.* illud. Menſe Februario & prouincialium, & externorum audiri ſolitas legationes. Iſtud multi adnotarunt. Quale tamen ſit, *Alex.li.4. Ge. c.x.* per eos haud intelligo. Nihil de prouincialibus loquor: his enim, cum eſſent ſub imperio, ſtatui dies poterat, in quem venirent. *Manu.Verr.3.* Sed ſi amicus rex, aut etiam externus legationem miſiſſet pridie Kalendarum Martias, an manendum legatis annum fuiſſet? Video etiam auditas omni tempore legationes. Quid igitur? Datum illud tempus (& id legi alicubi) Senatoribus crederem, quo ab alijs negotijs ſub eo prætextu otium eſſet. Nihil enim agi aliud potuiſſe videtur. Obſeruo tamen, vt initis ſtatim

Liu lib.28.39. 40.44. magiſtratibus huic vni curæ audiendarum legationum circa illa tempora vacaretur. &, vt tum temporis multæ admodum legationes Romæ eſſe ſolerent. Atque hæc ita videntur. Greſſu autem paulùm retroacto, & illud notemus, quod ſi incognita aliqua Alex.li.2.gen. legatio Romam aduentabat, ei obuiam & alij exploratores, & maiores magiſtratus procedebant, quo & de perſonis legatorum, & de ipſa legatione fierent certiores: atque ita deliberari Romæ poſſet de tota ratione, quæ ſeruari debuiſſet in ea legatione excipienda. Quæſtorem, qui ſumptu publico duceret, deduceretque in aliquam viæ partem, a Romanis miſſum legimus non vno loco. Sed & in ſelectis Polybij obſeruaui, itum his obuiam legatis, qui gratulandi cauſſa Romam adueniebant. Speculatores apponi legationibus ſolitos arbitror, ſi timebatur, ne quis per eam corrumperetur. Nam huiuſmodi cautionem com- De be. Mitr. memorat alicubi Appianus. Sic volunt alij, datum legatis hoſpitium publicum, ne quid intra priuatas ædes machinarentur. Et ijdem ex Demoſthene narrant, a Philippo eos punitos, qui legatos priuato hoſpitio excepiſſent. Quod hic recenſui, etſi non ſit Romanæ hiſtoriæ: quia ad hanc facit.

CAP. XVI.

De muneribus, alijſque hoſpitalibus, quæ Romani legatis Romam aduenientibus præſtabant.

LEGATIS Romam venientibus munera dari ſolitũ, aliaque hoſpitalia comiter a Romanis præſtita docet libro quadrageſimo ſecundo Liuius: ſed ſocijs Lib.45. tamen & amicis; vt alibi oſtendit. Verùm & hoſtibus dediſſe hoſpitium in villa publica notat libro trigeſimo, atq; trigeſimo tertio: imò etiam lautia. Quamquam non tam hoſtium hi erant legati, quibus hæc præbita dicuntur, quàm deuictorum, ſupplicumque, & tantùm non ſe dedentium. Eorum, qui etiamnum hoſtes ſtarent, datum nihil legatis videtur. Etenim de App. & Dio in Select. Cynea ſolùm, & legatis Numantinorũ quibuſdam diuerſum legi.

gi. Cum alijs, etſi hi viſi eſſent indigniſſimi, beneuolè eò vſque actum lego libro quaqrageſimo quarto, vt munera etiam illis mitterentur. At quæ illa erant amicis dari conſueta? Locus, Lautia Munera. Loci nomine ædes liberas accipio, libera loca. quod & Liuius ait. Et liberi appellationem ego ad ius magis retulerim; & proximo libro explicabo. Lautia quæ ſint, Plutarcus docet. Vocantur (inquit) lautia legatis miſſa Xenia. Sunt ſumptus. Ex quadrageſimo ſecundo Liuij. Quos omnes ſub ſalis & lignorum ſpecie aliquando Horatius intellexit, Porphyrio enarratore. Atque apud hunc ſcriptum eſt, parochos, qui iſthæc legatis regum, populorumque parabant, dictos latinè copiarios: quòd omnium rerũ neceſſariarum copiam ſupradictis præberent. Sic verbum *copia* alicubi apud I.C. pro commeatu: & alibi caſtrenſe verbum *copiari*. Quæ Duarenus docuit lib. 1. Diſp. c. 26. Pro Lautijs antiqui Dautia dixere: vt Feſtus tradit. Et eodẽ auctore Lautia dicta nos opinabimur a magnificentia præbitionis. De muneribus quid ſcribam? Et legatis, & aliquando comitibus ipſorum dabantur. Singulis verò ſupra centum coronatos datos, legere me non memini. plerunque viginti dabantur. niſi ſcilicet perſona aliqua inſignis aduenisſet: aut qua alia cauſſa ſingularis intercedere viſa eſſet. Nam filio Maſiniſſæ munera data ex centum pondo argenti ſunt. quæ mille coronatorum eſſe dicuntur, atque regis Antiochi legato totidem, hoc eſt, cẽtum millium æris miſſi ſunt. Quod commodè facere potuerunt Romani, quando hic donum attulit vaſa aurea quingentûm pondo, ſex ſcilicet & quinquaginta millia coronatorum. Attalo etiam regis Eumenis fratri, optiméque merito de re Romana, munera data, equi duo, bina equeſtria arma & vaſa argentea centum pondo, & aurea viginti pondo. Et quidẽ quòd parciores fuiſſent in re iſthac Romani, quàm e dignitate tãti imperij videri potuerit: vel eò referatur, quòd ſe datores reſpici voluiſſent, quàm rem datam: vel quòd in tanta legationum frequentia, nec conſultius fuiſſet, exiſtere liberaliores. Ac narrat Plutarcus, ſolitum primò, vt legati Quæſtoribus nomina darent, quæ in publicas tabulas referebantur. et mitti a Quæſtoribus munera. et ægrotos publico ſumptu curatos: & funeratos mortuos. Poſteà, cum nimia (vt dixi) frequentia legatorum eſſet, deſitum

Liu. lib. 23. 30 35. 42.

in probl. Ro.

Saty. 5. lib. 1.

Liu. lib. 28. 30

Liu. lib. 42. 45.

Liu. lib. 35.

In quæſt. Rom

dari munera, dari ſumptus. retentum ſolum morem nomina deſcribendi. Quod verum eſt. Et Modeſtinus I. C. vel ad ærarium in Saturni (vt ait Plutarcus) æde nomina edi legatorũ, vel in principis commentarium referri ſolita, ſcribit. Quod & ad prouinciales, & ad ſuos Romanorum, Principiſúe pertinere poteſt. Illud referre pudet, quod habet Vlpianus, vt ex pannicularijs munera legatis barbarorum a magiſtratibus prouinciarum cogerentur. Datur eodem iure noſtro legatis vtendi curſus publici facultas. Remittitur aliquid de vectigalibus. Conceditur aliquid commercij, quod alijs interdictum eſt. Et olim Romani Gallicis tranſalpinis legatis permiſerunt aliquot equos ex Italia ducere. Proſecuti verò ſunt diſcedentes & litteris commendatitijs ad reges, ciuitatesque, quà remeandum fuit. vt legi apud Ioſephum libro decimotertio antiquitatum capite octauo. Et apud eundem, quod penè eram oblitus, in publicis ſpectaculis, loco nobiliſſimo in Orcheſtra datum conſidendi locum legatis, ſcriptum eſt libro decimo quarto, capite ſeptimodecimo. quod & Suetonius in Auguſto, & in Claudio habet. Legatis ſuis quæ præſtabãt & Romani & alij, inducam proximo libro. Hic finem eſſe volò Romanæ hiſtoriæ.

L.32.D.ex qui ca.ma.

L.6.D.de bo. dam.

L.16. & l.pe. C.de cur.pub.l. 8.de vect. l, 4. de commerc. Liu.lib.43.

CAP. XVII.

Quædam Græcorum.

HAbeo autem quædam & in hiſtoria Græca, quæ omittere non placet. Athenis curam mittendi legatos populo incubuiſſe volunt. quod ab Æſchinis oratione de falſa legatione confirmatur. Vnde & alterũ cognoſcimus, quod tamen ad Senatum legationes veniebant: quas præco vocaret in Curiam: de quibuſque ducendis ad populum Senatus deliberaret. quæ ex Alcibiade Plutarchi rectè adſeruntur. Et id poſtremum cum re Romana conuenit: Si tamen Senatus Athenienſis hic tantam poteſtatem obtinebat, quantam Romanus. Quam autem ſeruarent in legatis mittendis Athenienſes rationem, Sigonius explicat, dicitque, merito, non ſorte, ad huius faſtigium muneris homines adſcendiſſe. Et Plato

Sig.lib.4.c.7. de rep.Ath.

ſatis

ſatis oſtendit, dum Pyrilampem, neſcio quem, probitate & dignitate hoc argumento extollit, quòd varijs, ac frequentibus legationibus ad magnum fuerit Perſarum regem defunctus. Res ad rem nihil, ſi forte demandatæ fuiſſent legationes. Obſeruandum verò id eſt. Nam in magiſtratibus creandis Athenienſes ſorti omnia permittebant. Vt Sortilegam eam remp. quidam meritò cenſeant appellandam. et ſtolidos Socrates etiam appellauit Athenienſes eadem ratione. quod Xenophon libro primo de factis Socratis commemorauit. Ego tamen, multos maximosque magiſtratus aliter delatos, ſcio. Sed ea diſquiſitio ab re eſt. Legatis ſuis Athenienſes magnum exhibuiſſe viaticum, Demoſthenes aperit nobis in ea oratione, quam ſcripſit (incertum enim ait Plutarcus, ſi fuerit vmquam dicta) de falſa legatione aduerſus Æſchinem. Et idem Plutarcus, pactum Demadem quinque talentorum mercedem legatione functum ad Alexandrum, recenſet, quam refugît Demoſthenes. In publica verò monumenta, & ibi ſolitum fuiſſe, nomina legatorum referri, AEſchines tradit. Aliorum legatis datum ſcimus, vt ad cœnam, ſi digni viſi fuiſſent, inuitarentur in Curiam, & laudibus ornarentur. quod idem orator habet. In publicis quoque ſpectaculis certum locum legatos, vbi ſederent, Athenis tenuiſſe, Cicero in Catone oſtendit. Publicum & datum hoſpitium ijſdem cenſemus, quia id exprobretur Athenienſibus aliquando, quod præconi cuidam hoſpitium nõ tribuiſſent. Illud certum videtur, quod poterant illic legati & apud priuatos hoſpites eſſe. In theatris porrò, curijs, foris Græciam excepiſſe legatos cognoſcimus & ab alijs, & ab libro nono Herodoti. Atque is libro ſeptimo narrat, honorem hunc in legationes proficiſcendi vni apud Spartanos familiæ Talthibiadarũ datum: factique explicat rationem. Fuiſſe ſcilicet regis Agamẽnonis Talthibium quendam præconem: cui & templum poſitum Spartæ: atque propter eum conlatam in poſteros iſtam prærogatiuam. Ita eſt de Talthibio. Celeberimus Homero eſt. Hæc tamen narratio non eſt niſi de præconibus accipienda. Nam & reges, & alios miſſos in legationes Lacædemone memorat Ariſtoteles libro ſecundo Politicorum, & Xenophon in laudatione Ageſilai. Atq; hanc diſtinctionem Euſtatius probat. Sed qui illic ſuſtinebant iſtam prouin-

In Charmide.
Bod. Meth. hiſt. car. 294.
Ex Mem.
Plu.
Xenoph. lib. 6 re. Græc.
Idem. lib. 5.
Ilia. 3. 4 7.
Ilia. 1.

ciam mittendi legatos? Credo Ephoris, regibusque eam curam incubuiſſe: quoniam illa reſp. non diſſimilis fuit Romanæ, ſi licet Polybium audire. Quamquam & variatam illic reip. formam nõ vno ex Platonis loco adnotare licet. Habet tamen Xenophon in libro, quem de ea rep. ſcripſit, quod ratio hæc legationis cõmiſſa regis diligentiæ fuerit. Ad reges etiam, ſed & ad Ephoros, veniſſe legationes, & productas iſtas ab ijſdem in concionẽ, idem auctor eſt libro ſecundo, & quarto rerum Græcarum. Legationibus reges reſpondiſſe, colligimus ex Plutarco. Apud Achæos ſanè prætorem, ex gẽtis tamen decreto, ſolitum legatis reſponſa dare, oſtẽdit libro trigeſimo ſecundo Liuius. Quod cum re Romana conuenit. Vt etiam illud Græcorum omnium, quod (ſed in Græcia per præconem) a magiſtratibus poteſtas fiebat: ſi quis quid vellet de legatione audita diſſerere. Quid de rep. Platonis dicã, cõmẽter? Ea non eſt reſp. ſed votum: quidquid ille philoſophus hoc nõ ferat. Cum tamen libro nono, verbis ſolùm exiſtere eam in terris, ingenuè fateatur. Populi primores apud Mantinenſes excipiebãt legatos: atq;, an ad populum eſſent producendi, deliberabant. Ecce quomodo a Græcis inſtitutis fluxerint inſtituta Romana.

Lib. 6. *Lib 3. 4. de leg* *In Ageſil.* *Liu. 10* *ex lib. 12. de legi.* *Lib. 5. 6. de rep* *Xenoph. lib. 6. re. Græ.*

CAP. XVIII.

De Caduceo, & velamentis, & reliquis ſolennibus.

VT verò Romani ſagmina, ita Græcorum legati ferebant ea, quæ vocantur Cerycia. vt inquit I.C. Ceriacia autem caducei ſunt. Etenim ſic Euſtatius libro Iliados ſecundo: *Iuppiter ſceptrum* (ſupplicia dicunt Latini) *Mercurio dedit tanquam Cerycium.*. Eſtq; (eodem auctore Cerycium baculus, qui ſimbolum ſit, Caduceatorem eum eſſe, qui baculum portat. Et baculus eſt (vt ſcribit Suda) lignum habens ab vtraque parte duos ſerpentes inuicem implicatos, & ſe mutuò reſpicientes. Eſt autem lignum rectum, ſimbolum recti ſermonis. Illaque anguium inuicem ſe contuentium ſpecies caſtris oppoſita caſtra ſignificat. Et quidem ita ſe res habet, vt in bellis tantùm, & armorum ſtrepitu, & ardore præliorũ, certè inter hoſtes tantùm Caduceatores interuenirẽt. Hoſtes dico vel natura. Atque ideo o-

L. 8. D. de re. dim.

pus caduceatore, alióue huiuſmodi homine barbaris fuit in Græciam proficiſcentibus, ſi a Græcis mali aliquid pati nolebant: & Græcis contra euntibus in barbaras regiones. Nam cum barbaris æternum natura bellum omnibus Græcis eſſe exiſtimabatur. Liquet verò id, quod de vſu caduceatorum dico ex Alcibiade Plutarchi, & pluribus locis Thucididis, meique Liuij. Vt tamen in bello tantùm fuerit horum legatorum vſus: bellicum tamen, hoſtile nihil ab ipſis audiebatur. Pacem caduceatores orabant, offerebántue: inducias petebant: corpora repetebant ad ſepulturam: poteſtatem dari redimendorum, permutandorumque captiuorum rogabant: ſimile aliquid agebant, dicebant: quæ a ratione belli omnia diſsita ſunt. *Caduceatores* (inquit Feſtus) *Legati pacem petentes.* Quare reprehendendi illi forſitan videntur interpretes, qui apud Thucididem, apud Plutarcum cum poſſent præconis nomine vti in eo legato deſignando, qui bellum indicit, inque pugnam prouocat, maluerunt verbo Græco inſiſtere, & caduceatorem referre. Quod multò magis in Appiani interprete vitioſum eſt, qui cohortatores in pugna Romanorum eoſdem hos facit. Verùm hîc ego ſutor ſupra crepidam longè. Sed ſic accepi. Placet autem, niſi aliqua interpretatione res aliter componatur, quia prouerbio etiam vſurpatum tradit Polybius, haſtam & caduceum vt dicerent pro bello ac pace. Vt liceat rectè iudicare, caducei nomen pacis ſignificationem habere. Quod & proximus Sudæ locus oſtendit: & Gellius dicens belli, paciſque ſigna haſtam, caduceumque. Et quod Ammianus ſcribit, nuncupatum Iulianum quaſi caduceum mundanum lenientem. Addo Plinium, qui libro vigeſimo nono, capite tertio, & alia, & hæc ad rem præſentem extulit: *Hic tamen complexus anguium, & efferatorum concordia, cauſſa videtur eſſe, quare exteræ gentes caduceum in pacis argumentis circumdata effigie anguium fecerint. Neque enim criſtatos eſſe in caduceo, mos eſt &c.* Sed quid eſt, quod de exteris gentibus Plinius ſcribit, & nos cum ipſo idem affirmamus? Attende quomodo quæſtiones nectantur. Narrat Gellius, a Q. Fabio Imperatore Rom. epiſtolam ad Cartaginenſes ſcriptam, qua ijſdem ſignificabatur, Roma haſtam ad ipſos miſſam, & caduceum, belli, paciſque ſigna: vel (vt vole-

T lib.1. Plut. in Pyr.

Lib.2 de be. ciu.

Lib 4.

Lib.x.c.27.

A lib.25.

L. 2. p. 18. D. bat Varro) teſſerulas miſſas duas, in quarum altera caducei, in
de orig. iu. altera haſtæ ſimulacrum inciſum fuerit. Et hic quidem in teſſeris adſtipulatorem habet Pomponium I. C. Ergo & Romani cadu-
P. lib. 3. L. li. 21 ceo vtebantur. Cæterùm neque Polybius, neque Liuius vel teſſerarum meminerunt, qui latè hanc hiſtoriam tangunt. Et non in hoc vno I. C. a Polybio, & Liuio differt, verùm & in eo, quod illi bellum a legato datum Cartaginenſibus volunt: hic (qua in re diſcrepat etiam a Varrone & Gellio) a Cartaginenſibus duas illas teſſeras poſitas ſcribit, dato arbitrio oratori Romano, referendi Romam, vtram mallet, & eum vtramque ſuſtuliſſe, dixiſſéque, Cartaginenſes petere debere, vtram mallent accipere. Rurſus aliud huius legati nomen memorat I. C. Liuius aliud. Quid itaque a conſenſu ſummorum ſcriptorum, & auctoritate Plinij diſcedemus, vt minoribus (quamquam & I. C. in præſenti quæſtione non eſt contrarius) ſcriptoribus auſcultemus? Teneo, Romanos caduceo vſos non eſſe. Priuernates tamen vſos, populũ propinquum, indico ex octauo Liuij. His iam addo, quod fuit & munus Caduceatorum certaminibus intereſſe ſingularibus, atque illis ſic præeſſe, vt pugnam regerent, certiſque terminis, vt viſum ipſis eſſet, circumſcriberent. Ita ex Platonis Protagora noto. Eſtque quod Taſſus vſurpat in certamine Tancredis & Argantis. atque Homerus in pugna Hectoris, Ajaciſque, Ilia. 7. Sed & ſi rixa aliqua incidiſſet, caduceo (ſceptrum dicitur) interpoſito eam ſedabant. Ilia. 23. Hæcque habui de caduceo. Niſi & illud ſcribendum eſt, quod caduceatores a Ceryco Mercurij filio ortos Euſtatius tradit. Ceryces dicuntur caduceatores. Et ſtare cum reliquis antedictis id poteſt. Sed an horum (omitti hoc non oportet) legatorum proprium erat, an omnium commune, qui vltrò, citroque belli tempore commeabant, quod Alexan-
Lib. 6. Gen. c. 3. der Alexandrius ſcribit? *Apud Græcos* (inquit) *niſi præconibus adhibitis, legatis minimè hoſtium fines ingredi licuit: neque legationis munere fungi quiſquam potuit, niſi priùs, infuſa aqua ab ijſdem, manus abluiſſet, Iouique coronatis poculis propinaſſet.* Credo non fuiſſe id vllo modo caduceatoribus neceſſe, per ea, quæ libro proximo exponemus. Itaque hæc ſolennitas aliorum fuerit. Et quia in ſolennium tractatu nunc degimus hîc iſta poſui. Eſt & quod dici

dicitur de velamentis huius loci. Supplicum verò morem hunc velamentorum fuiſſe, locis Liuij admodum multis conſtat: & *Lib 24.25.30. 35.36.37.44. 45.* Græcorum morem. Rami oleæ (icheteria dicebantur) vittis compti, ſiue lana obuoluti erant. Ipſi & ſupplices oratores, qui veniam petebant, vel auxilium, vittis redimiti procedebant. Quæ conſtant & ex ſeptimo, atque octauo Æneidos, & ex Plauti Amphitrione, in prologo. *Xenoph. l. b. 4. re. Græ.* Argiui coronatos præcones mittere conſueuere. Quid de reliquo veſtitu? Fœciales Romanos veſte auguſtiori, & verendis inſignibus vſos in legationem euntes, Dioniſius ſcribit. *Lib. 2.* Sacram ſtolam, veſtem inuiolabilem legatis huius generis, & eam coloris ad purpureum accedentis tribuit Appianus. *in Select.* Virgilius etiam præconi veſtem facit illius coloris libro ſexto: atque legatis alijs Plutarcus ad rem Græcam in vitis alicubi, ni falſus memoria ſum. Credo, datos Romæ & anulos legatis aureos: *Pli. lib. 3. C. 1* & opus datione fuiſſe, quoniam cum ex omni ordine mitterentur, multos eo ornamento carere aliàs oportebat. Credo & quod iter facientes ita velati, ornati incederent, non ſolùm quum perueniſſent illuc, vbi peragere legationem debebant. Nam inquit I. C. *Sunt ſagmina herbæ, quas legati populi Romani ferre ſolent, ne quis eos violaret.* Et Xenophon libro ſexto de Cyri expeditione in hæc verba: *Equites cum præcurrerent, legatos quoſdam offenderunt: incertùm quò iter haberent.*

CAP. XIX.

Racematio.

COLLIGAMVS iam quidquid nobis ex huiuſmodi obſeruationibus ſupereſt, nec inutile fuerit reliquis adiungere. Veteres Hebræi ad portas vrbium (vt reor) legatos audiebant. Ibi enim conuentus agere conſueuerunt. *Deut. 17. Ioſ. 19.* Audiri autem a gentis principe, primatumque conſilio, certò ſcimus. Mihi de eo tempore ſermo eſt, quo ſub regibus non viuebatur. Cartaginenſes idem, quod fuit Romæ, inſtitutum tenuiſſe, vt Senatus iſthæc curaret, perſuaſum habeo. vt audiret, venientes. vt in templis, curijſque *Liu. li. 21. 30. 41.*

audiret. Vt Suffetes (illic is velut Conſul Romæ) partes Conſulis, prætoríſue Romani ageret. vt de legatis mittendis, Senatus cenſeret. cum reliquis, quæ diximus ad Romanos. Gallos in armatorum conuentu audiſſe legationes, Liuius tradit. Illud barbarum erat, quod legatos audirent reges Indi dum caput ſibi, barbamque pecterent. vt eſt a Curtio relatum libro octauo Igitur & Curius notam ſubibit, qui, cum Dictator eſſet, legatos Samnitum audiſſe dicitur, dum cibum viliſsimum manu ſua in foro verſaret. Magnus Alexander in legationibus audiendis certum traditur ſeruaſſe ordinem. Audiebat primùm, qui rerum ſacrarum cauſſa veniſſent: ſecundò, qui munera attuliſſent: tertiò agentes de obſidibus: quartò, qui priuata ad ipſum haberent negotia: tum, qui de reſtituendis exulibus actum veniſſent. Iam videamus ſolennia. Nergobriges populi Hiſpaniæ (quod Appianus notat) pro caduceo pellem præferebant lupinam. A barbaris, inquit Suidas, coronæ, & folia geruntur, tamquam Caduceus: quo Græcis ſignificent, ſe adeſſe; & nolle quidquam nec facere, nec pati mali. Hodie, qui bellum denunciare proficiſcuntur, Araldos dicimus. Hi veſte velantur diſtincta, ſignatáque illius principis inſignibus, a quo mittuntur. Eam autem neſcio ſi antea induere ſoleant, quàm eò peruenerint, vbi exponere legationem debent. Sed hiſtoriam præſentium temporum non moror. Legati Perſarum deditionem poſtulantis formula eiuſmodi verborum vtebantur, qua ſignificabant, regem ſuum petere aquam ſibi, & terram dari. Cuius non ſcriptores modò Græci meminerunt, ſed & apud Liuium de ea re agitur libro trigeſimo quinto. quaque comprehenduntur omnia, quæ longiori apud Romanos carmine explicabantur: aqua enim & terra tenentur omnia, quæ dedi poſſunt. Reſtat de muneribus. Legatis Romanis dona a Gallis data, Liuius refert. Quæ reges Perſæ præſtabant, Ælianus libro primo exſcribit. & magna fuiſſe, credendum eſt: nam Epicrates decretum ferri Athenis vrgebat, vt ad eum regem pauperes homines legati mitterentur, quo diteſcerent. Hæc, & ſi quæ alia colligeremus, cui bono? Vt extitiſſe apud gentes omnes nomen legationis oſtendam, & curam, & ius, & dignitatem.

Lib.21. *Sene.de conſ. ad Elb.c.x.* *Diod.Sic.li.12* *Bud.in l.7.D. de re.di. Guic. lib.7.* *Liu.lib.1.* *Lib.39.*

CAP. XX.

De legationum cauſſa & antiquitate.

VNA ſupereſt quæſtio hiſtoricæ tractationis, de legationum origine & vetuſtate. Et Belo hoc inſtitutum quidam adſcribunt. Belus Nini pater fuit. Ioſephus ad Deum refert, qui Angelos propterea fecerit, qui iſto munere fungerentur. Ego ſic ſtatuo, vt diſcretis gentibus, regnis conditis, dominijs diſtinctis, commercîjs inſtitutis, legationis extitiſſe nomen opiner. Quoniam in tanta illa naturæ ruditate, quantam carmine incõparabili depingit Lucretius, homines nec commune bonum poterant ſpectare, neque vllis moribus inter ſe ſciebant, neque legibus vti. Poſtea & amicitiam cœperunt iungere habentes finitima inter ſe, nec lædere, nec violare. Quæ expreſſa ex Platonis Protagora ſunt. Si verò inter eos, inter quos eſt aliqua iuris communio, vt inter gentes eſt, reſpub. reges, neceſſe fuit officia, negotiáque intercedere: & iſtæ perſonæ vel conuenire nolunt, vel ſæpe etiam non poſſunt, certè ipſe nũquam ciuitates queunt: perneceſſarium profectò (vt de procuratore ſcribit in ſimili quæſtione Vlpianus) & illud fuerit, vt alij conſtituerentur, qui, eas perſonas referendo, agere poſſint, quod incumbat. Hos autem eſſe tales oportuit, quales legatos videmus, non illi ſubditos, ad quem mittuntur. aut ea imperiorum diſtinctio inuiolata non retinetur. Nam in perſona, quæ principem refert, ipſe princeps ſubditur, ſi ea ſubditur. Ac a Moſe quidem legatos non ſemel miſſos, omnium librorum antiquiſſimus memorat. Nec dubito, quin fuerint legati etiam ante. Sed familiarum hiſtorias ſcripſit priorum temporũ Moſes. Legatio autem res priuata non eſt. quare legatorum meminiſſe nequiuit priusquam ex familia, de qua ſibi dicendum fuerat, reſp. conſurrexiſſet. Quod ſi ſcriptorum conſenſum non aſpernamur, ab illis ſanè non diſcedemus in principio legationis conſtituendo, qui id Belo ferunt acceptum. nam primam regum originem ſub Nino ſcriptores tradunt. & regia dominatio antiquior alijs paſſim narratur. Fœciales, Caduceatoresque. item legatio libera ortum adeo vetuſtum procul dubio non habent. De Solẽnibus loquor. Belli enim indictionem ſuſpicor ab omni æuo v-

Lib.15.c.8. *Lib.5.* *Cic.lib.1.de Inuent.* *L.1.de procur.* *Num.20.21. Deu.2.* *Iuſti.Iornan. alij.*

Poly. lib. 13. Liu lib. 1. 42. Plut. in Publ.

ſurpatam: immo vſurpatam magis vetuſtis ſeculis, quàm Punico (vt Liuius diceret) iſto, Græculoque. Bella autem, quis non credit, mox facta illa gentium diſcretione fuiſſe? Et de muneribus certè, quæ obit Caduceator, minus dubito. Legationem liberam non tam longè repeto. Originem verò eius ex epiſtolis commendatitijs facilè quis deducet. Et pro re priuata cum ſit, in ipſa ſupradictę non obtinent rationes. Romanorum porrò peculiaris fuiſſe non videtur: nam Phrynonis cuiuſdam meminit Æſchines, qui Athenienſes orauerit, vt ipſum mitterent legatum ad Philippum, ſi ſic pecuniam quandam ſuam recuperare valuiſſet. Et certum argumentum in rem iſtam eſt illud, quod retulimus capite proximo de his apud Alexandrum legatis, qui priuata ad eum negotia deferebant. Hi namque alij omnino nō ſunt, quàm qui libera legatione funguntur. De ſacris legatis, quòd cultu diuino vetuſtius, & receptius nihil ſit, idem cenſeo, vt vetuſtiſſimi & ipſi fuerint. Mutā legationem non ſtatuo relatis exemplis antiquiorem. Nam priſcæ ætatis homines, vix eſt, vt myſteria illa ſcierint excogitare. Niſi quid ex Ægyptijs huc adferamus. ſed libet ſolennia iſta non reponere cum ijs, quæ neceſſitas vſurpauit. In temporaria hæreo. Scio legatos Athenienſes annos duos Demetrio adhæſiſſe: at legatos temporarios non fuiſſe, adfirmare licet. De Leone etiam quod cum Timagora (referente Demoſthene) quadriennium in legatione fuerit, aliquis dicet: ſed nec inde firmum ad rem argumentum. Tandem a legationibus prouincialiū, gentiumq; fœderatarum (quas tales manſiſſe Romæ ſæpe exiſtimo) morem hunc & ad nos perueniſſe puto: auctum ſcilicet inſtitutis Pontificum Romanorū, qui cum legatos illos ſuos habere vbique ipſi voluerint, id imitati & alij omnes principes ſint. Et in iſtam coniecturā me induxit quà doctrina, quà nobilitate vir in pauciſſimis Anglorū præſtantiſſimus D. *Philippus Sydneius*. Bona occaſio fuit, quòd inter principes frequentiora intercedunt negotia, quàm vt commodum ſit iugiter legatos mittere, & non hos potiùs alterū apud alterum habere ſemper. Alij turpiter faciant ipſos eſſe ſpeculatores, & exploratores, & ad iſtud haberi: ego non facio.

De cultu diuino locus egregius apud Plut. adu. Colo.

Plut.

Liu. lib. 25. 27. 28. 39. 40. 44.

ALBE-

ALBERICI GENTILIS DE LEGATIONIBVS LIBER SECVNDVS.

CAP I
De iure legationum.

SVPERIORE volumine, quod in legationum generibus explicandis,& in antiquitatibus, Romanis maximè,enarrandis poſuimus, & videri poſſumus, & ita ſanè eſt, manum nos ad alienã meſſem (quod dicitur) admouiſſe. Verùm illa parte mihi preſens carere opus non poſſe videtur, nec certè primis multis capitibus poteſt, in quibus tot legationum genera expoſuimus, quot ſimul quiuimus indagare,ſimul etiam nouiſſe oportet, ad reliquam omnem diſputationem rectè inſtituendam, & de iure, & de officio legatorum. Nam variari definitiones in vtroque argumento neceſſe eſt pro alio atque alio genere legationis. Aſt nec operam(vt exiſtimo)in reliquis luſimus: quoniam præter eam,quam potuimus, hiſtoriã, alia quoque docuimus,quæ non in ſolo labore conſiſtunt.Hiſtoria etiam ipſa vtilis fuit.nulla enim hiſtoria inutilis eſt.ac dum curam,dum diligentiam, dum ſolennia, dum ſumptus, dum honores tributa legationibus, & earum cauſſam, originemq; narraui, id certè oſtenſum eſt,& magnum eſſe legationum ius, & a legato expectari,vt officium ipſe ſuum cumulatiſſimè præſtet: Si ſcilicet ita actum cum ipſo eſt,vt nihil, quod ornare, quod ſuſceptã perſonam munire valet,non abundantiſſimè indultum dicere queat. Et verò eorum multa,quæ ſcripſimus,non antiquorum ſolùm,ſed

& noſtrorum ſunt, & omnium temporum erunt. Reliqua etiam non tam ſublata, quàm commutata cognoſcemus, ſi & preſentem hiſtoriam indagare, & cõferre cum relatis ex antiquitate libebit. Placuit autem mihi vetera potiùs exponere: quoniam ipſa, quæ nunc obtinent, vulgaria ſunt, inque omnium oculis collocata: & ex his prætcrea tanta neutiquã auctoritas legationibus conciliata fuiſſet, quantam & nos eſſe adfirmamus, & vetuſtas rebus omnibus adiungere facilè ſolet. Si ergo (vt ad iura legationũ examinãda rectà pergamus) omnis antiquitas, Græcia, Roma tot mõdis, tam ſanctè, tam ſolenniter conteſtatur, apud ſe dignationis maximæ legationes fuiſſe, hæ quid & apud nos, & apud omnes, nunc, ſemper non erunt? Ius legationum (dicit Cicero) humano, diuinoque vallatum præſidio eſt. et Ciceroni Cæſar, alij concinunt. Hoc verò eſt, ſicuti ego ſentio diuina quadam prouidentia immutabile ius, & omnibus conſtitutum, gentibus etiam barbaris exceptũ & manifeſtum. quod quoque libro primo de bello Gothico Procopius ex Totilæ oratione confirmat. Sanctum ius legationis cõſueuiſſe apud gentes eſſe omnes, Probus in Pelopida conteſtatur. Sacrum ait Tacitus libro tertio hiſtoriarum. Sanctos & inuiolabiles exiſtere legatos, Pomponius I.C. libro trigeſimoſeptimo ad Q. Mutium notat. Dionyſius libro quinto corpora legatorum ſacroſancta appellat. Et Cicero (vt his congerendis teſtimonijs, cumque illo, a quo incœpimus, finem faciamus) ait, nomen legati eiuſmodi eſſe debere, quod non modò inter ſociorum iura, ſed etiam inter hoſtium tela incolume verſetur. Atque iſta ſic explorata, ſic certa ſunt, notáque, vt antiquiſſimum prouerbium fuiſſe dicatur: *Legatus neque cæditur, neque violatur*. Narrat de Caduceatoribus Euſtatius, diuinum eos genus exiſtimatos, certè medium quoddam homines inter, & Deos: nec niſi a Leſtrigonibus, Cyclopibuſq;, alijſque, qui fas non norunt, de ijſdem aliter cogitatũ. Nuncios Iouis atque hominum eos Homerus nominat, & oratores honorandos Xenophon libro ſecundo de pædia Cyri: & Cato apud Feſtum, *Caduceatori*, inquit, *nemo homo nocet*. Sed & alij omnes legati hoc priuilegio muniti ſunt, vt nunc narrabamus. niſi quis fortè prouinciales excipiat: quibus (verum eſt) nomen tãtùm communicatur propter miniſterij ſimilitudinem, & quòd

In orat. de har. re.
Lib. 3. de be. Gall.
L. vlt. D. de legatio.
Verr. 3.
Ilia. 1.
Ilia. 7.

multis

multis iuris ciuilis priuilegijs, quà legati, ſubornantur. At ſupradicta ſunt de iure gentium, quod longè excellentiſsimum, & præſtantiſsimum eſt. De quo priùs quàm dico, multa neceſſariò ſunt diſcutienda, quæ & alijs omnibus legatis adimere ius iſtud videntur.

C. ius gentium diſt. 1. & Egeſip. lib. 1. c. 36. & d. l. vlt. de lega. &c.

CAP. II.

De mentita legatione.

ET prima quidem quæſtio erit de his, qui miſsi legati non ſunt, & legationis tamen nomen obtendunt. quam in duas partes diſtribuo. Nam, aut nec miſſus quis eo titulo eſt: aut eſt quidem miſſus vt legatus, ſed alia quæque (& hæc ſcelera) in mandatis habet, quæ procuret. Aduocauerit huc aliquis & falſam illam legationem, quæ dicitur, quòd aliquid contra quàm iniunctum fuit, egerit legatus, dixerit. Sed nos hîc dare locum legationi iſti non poſſumus, vbi de iure gentium legationis tractamus, quod ad alios eſt, non ad ſuos. Alibi itaque de hac. Nunc de prima exemplum ponimus in his legatis, quos Philippus Macedoniæ rex ad Annibalem miſit: qui ſcilicet in manus Romanorum incidentes, legatos ſe ad Romanos dixere miſſos. Sunt Illyrij, quorum libro quadrageſimo ſecundo Liuius meminit, homines eius regionis morantes Romæ, ſuſpectique ab Iſſenſibus facti, quòd ſpecie legatorum ſpeculatores eſſent. Sunt multi & illuſtres illi Cartaginenſes, qui in poteſtatem maioris Africani redacti, legatos ad eum ſeſe miſſos apertè mentiti ſunt, vt Valerius libro ſexto exſcripſit. Illyrios verò facilè iſtis adiunxerim: quoniam & Senatus Romanus, in ea illos adſertione mentiri, cenſuit. Romæ erant. Senatum adire non poſtulabant. non magiſtratum conueniebant, vt ex inſtituto acciperent, quæ legatis præſtari conſueuerant. non denique, niſi vocati in Senatum venere. Et hæc mendacio ipſorum cum obiecta forent, in reſponſo planè etiam hæſitarunt. Age: in prima parte & tria exempla recenſuimus: & exempla talia ſunt, quæ illam partem in alias adhuc partiatur. Mentitur legationem quis, qui legatus etſi ſit, non eſt tamen ad eum, ad quem ſe miſſum adfirmat. Tales Macedones. Mentitur ille, qui ad neminem legatus eſt. Tales Cartaginen-

Liu. lib. 23.

ſes. Tandem mentitur, qui nomen legationis non profert tempore ſuo. Hi ſunt Illyrij. Hîc definitiones dicamus ad poſtremas ſpecies. Nam primæ tribui caput præcipuum oportet: & de ſecunda parte tractationis longè fuſiùs eſt diſceptandum. De Cartaginenſibus itaque, & id generis alijs, nemo, opinor, dubitabit, quin non fuerint, ſintque iure vllo legationis excipiendi. Nam qui miſſus non eſt, is vtique legatus non eſt. vt Demoſthenes, vt Cicero, vt ipſe intellectus naturalis probat. Quare ſi Africanus eos dimiſit incolumes, id non iure coactus fecit, ſed pro naturæ, morumque ſuorum benignitate, magnanimitate. Atque rem ſic ſe habere, non vno loco oſtendemus. Et Valerius de eo facto ſcribit, Africanum potiùs voluiſſe, vt Romani imperatoris decepta fides, quàm fruſtra implorata iudicaretur. Idque breuiter in iſta ſpecie. Ad Illyrios verò quod attinet, credo neceſſarium exemplum ad imitandum omnibus a Senatu Romano propoſitum. *Ipſis* (inquit Liuius) ***tamquam legatis reſponſum dari non placuit.*** Et ratio fuerit, quia ſuo tempore adprobare ſe legatos iſti neglexerint. regreſſus verò ad ius neglectum non datur. Et nomen, quod ſpernimus profiteri, mox patrocinio nobis eſſe, cùm id volumus, ſanè non debet. Eſtque rationis ſummæ, vt quod nolueris quando debebas, id cùm velis, non poſsis. Quæ enunciata poſſum multis locis iuris ciuilis illuſtrare. Tamen ab ipſo opere libens abſtineo: quoniam ſunt illa ex ſe nota ſatis, ſupérque. Et hæc ergo definitio eſt apud me certa. Sed an ipſam ſic accipimus, etſi mandato, literiſq; perſpicuis ſe mox legatum iſte oſtendat? Id rationes probant. Sed an rationes accipimus, vt ſi is legatus quidquam admiſerit, quod pœnam mereatur, puniri tamquam nec legatus poſsit? Quid ni? Si Illyrij puniti non fuerunt: nec erat cauſſa cur punirentur. Nec enim ſpeculatores propterea deprehenſi ſunt, quòd legati habiti non ſunt. & licebat illis etiam citra ius legationis Romæ eſſe. Itaque quòd cum iure legationis irrito facto morarentur, nocere eis non potuit. Et hanc quoque rationem loci multi iuris noſtri confirmant, quos Baldus, adque Baldum alij notant in L. potuit. C. de iu. delib. Romani, quod potuerunt, id fecere. Nomen detraxerunt, quod mentiebantur Illyrij, aut certè perdiderant.

C. in ora. pro Flac. & in ora. pro Sextio.

L. in D. de iu. cod. l. multum. C. de re. alij. l. ſi genero. C. de iu. dot. &c.

L. x. C. de ſi. inſtr. et C. in prin. de re vx. act.

CAP.

CAP. III.

An tuti Legati ſint etiam cum ijs, ad quos miſſi non ſunt.

HIc de ea legatione ſcribendum eſt, quam aliò miſſam aliqui fortaſſe velint & apud alios, quibus miſſa non eſt, iura legationis obtinere. Atque vt recipiat quæſtio inſpectiones duas: & ſi ea iura tribuantur, cum miſſa legatio ad hominem non eſt, apud quem tuti eſſe legati volunt, & hi ſe non miſſos fatentur: & cum miſſos ſe immo contendunt: ego vltimam hanc partem abſoluo prius; quoniam rectà præcedentibus iungitur. Exemplum proximo capitulo allatum de Macedonibus fuit. *Ii* (vt narrat Liuius) *fœlici primùm euaſere mendacio: mox verò cogniti, capti ſunt, Romamque deducti.* Rectè. Legati enim ad Romanos non erant, ſed ad hoſtes: Itaque hoſtilia molientes, ſi paſsi paria ſunt, non habent, quod iuſtè doleant: non magis quàm miles quiſpiam, qui parci ſibi ab hoſtibus velit, quòd ipſe non pro ſe, ſed pugnet pro principe ſuo. Nunc alteram partem expono. Legati ex ipſo nomine ad alios non ſunt, niſi ad quos legantur. Cum alijs ergo iura legationis non obtinent. Quorſum aliàs inducijs inter Lacedæmones, & Athenienſes cautum fuiſſet, caduceatori atque legatis, comitibúſue quotcunque diſſoluendi belli gratia, & controuerſiarum in Peloponneſum, Athenáſue euntibus, ac redeuntibus, vt terra, marique fœdera eſſent? Adde, interceptos ab Athenienſibus regis Perſæ legatum ad Lacedæmones. Spartanorum proficiſcentes ad Perſam captos a Sitalce, & Athenienſibus traditos: qui & interfecerunt. Interfecerunt Illyrij legatum Eſsiorum ad Romanos, & legatum iſtorum ad Eſsios. Xenophon nec abſtinuit, quin captos aliò proficiſcentes legatos adſeruandos iuberet. Poſſum alia, & recentiora facta narrare iſtius generis. quæ ſcilicet nec improbata, nec improbanda opinor. Sed hìc nos rationes magis ſectamur. Primùm igitur poſitæ rationi altera adiungatur, quod ſi ius legationis ei non eſt, qui non publicam cum principe cauſſam agit: vt dice-

Thucid. lib. 4.
Thucid lib. 2.
App. de be. Ill. li. 6. de exp. Cy.

mus ad liberam legationem: longè erit minus cum iſto, qui omnino nullam agit cum eo, ad quem miſſus nec eſt. Et hæc de ſtricto (vt aiunt) iure certiſsima ſunt. Nam legatis etiam ad ſe non venientibus multa omnem præſtare principem debere, notum magis eſt, quàm vt a me confirmetur. Alexander & his pepercit legatis Cartaginenſibus, qui ad Tyrios in eum animandos venerant. Similes Lacedæmoniorum legati indigni erant, quibus parcere debuiſſet. & perfidi enim iſti in Alexandrum. Aliàs pro illa æquitate facit, quod legati homines pacis (ſic & cum omnibus agent ipſi pacificè) ſunt. principis, aut reipublicæ perſonam gerunt. rem curant publicam. delecti vt ſacri, ſancti mox ſient, & hoſtibus quoque inuiolabiles. Pateant itaque legatis viæ: quibus vt obſtruantur, nulla cauſſa eſt. Et ſcimus quantam vel ſuſpicio labem aſperſit Carolo V. Cæſorum regis Galliæ legatorum ad Turcam proficiſcentium. Ipſo enim mandante, aut a ſuis facinus ſceleſtiſsimum patratum, crediderunt eius ætatis homines. Audiuimus, quod ſecutum deinceps bellum fuit. Etiam ob tabellarium interfectum, etiam priuato quorundam militum conſilio, Tigurini arma in Gallos mouerunt. De legatis diuinorum planè ſic ſtatuendum exiſtimo, vt vbique ij ſancti ſint. Diuina enim, Deuſque omnium ſunt. Indicauimus quid piratæ Liparenſes egerint cum ijs Romanis legatis, qui Delphos proficiſcebantur. Scribit & de Delio templo Liuius, quod permixti ibi Romanique, Macedoneſque manebant, ſanctitate templi, inſulæque præſtante omnes inuiolatos, induciaſque religione loci præbente. Ac ſi ſacer locus id facit hominibus, quid ſacer ipſe vir ſibi non faciet? Quid Fabium illum memorem, qui per media Gallorum agmina ſacrificatum proceſsit, obſtringente religione Gallos, tutuſq; in Capitolium a ſacrificio redijt? Hodie ſacri legati eſſent, qui religionis cauſſa ad aliquem conuentum Eccleſiaſticum proficiſcerentur. Iam de ijs videamus, quibus quidem legati nomen conſtat: ſed miſsi tamen ſunt ob aliam cauſſam veriùs.

Curt. lib. 4. *Guicc. lib. x.* *Lib. 44.* *Liu. lib. 5.*

CAP.

CAP. IIII.

De legato ſpeculatore, & perfido.

SVNT quidam legati, qui ſpeculandi cauſſa verè mittuntur. Atq; id vt faciant tutiùs nomine illo ſanctiſsimo muniuntur. Sed an tuti ſunt? Puto ego, primum Africanum, qui ſpeculatores nec legati nomine ornatos dimiſit incolumes; immò & perluſtrare omnia voluit; ius nobis, qui ius indagamus, nõ magnanima facinora, haudquaquam ſtatuere. Ceterùm cum legato ſpeculatore non arbitror agi duriùs poſſe, quàm vt nõ admittatur, vel expellatur admiſſus. Antiocus certè legatum huiuſmodi ad ſe Roma miſſum regaliter & perhumaniter tractauit. Vt ex ſelectis Polybij de legationibus relatum eſt mihi. Et legatos quoſdam Volſcos agnitos, & conuictos ſpeculatores Poſthumius dictator Romanus ſeruauit: quia (ſic Dionyſius) legationis nomini, quod præ ſe ferebant, plus dandum cenſuerit, quàm facinori certo rependendum. Eſt autem & ſimile regis Æthiopum exemplum: quod Herodotus in Thalia recenſet. Ac dicere idem nos poſſumus de eo, quem Pompeio miſſum a Mitridate Cicero narrat in oratione pro lege Manilia, & legatum Pompeius, alij ſpeculatorem iudicarunt. nam & ego cũ iſtis ſum. quorſum enim in Hiſpaniam legatos miſiſſet Rex? An, vt cum Sertorio egiſſe dicitur, ita & cum Pompeio fœdus iniret contra rempublicam? Satis vel vno argumento conſtat, ſpeculatorem illum fuiſſe, quod Cicero nec conatur adprobare legatum. Sunt autem hæc exempla in dictam definitionem ſatis: quoniam probabile illud eſt, quod probis, peritis rerum, pluribuſque viſum eſt. Et eò magis probabilis noſtra definitio eſt: quia improbis alioqui lata penderetur ianua in legatos omnes deſæuiendi, ſi ſit ius, nomine legati quempiam ſpoliare, ſubditumque ſibi reddere; quòd eum ipſe iudicet exploratorem, non aduenisse legatum. Nũ Ariouiſtus nequiſſet facinus immane ſuum excuſare, cuius meminit Cæſar belli Gallici commentariorum libro primo? Num & ſuum adprobare Iulius papa, quod recitatur patraſſe cum legato Ducis Sabaudiæ? Num quod regem Ammonitarum cum le-

Plura exempla habet Ap. de be Syr.

Liu. lib. 30.

Lib. 6.

Ariſt. lib. 3. Top.

Guicc. lib. 11.

Sam.2.c.x. gatis egiſſe Dauidis memorat pagina ſacra velamento iſthoc tegi non valet? Malè legati illi omnes excepti: quòd exploratores ab Ariouiſto, Papa, Ammonita habiti ſunt, non legati. Superſunt & alia exempla. Et iſta, cum tamen de legatis veris, nec ſpeculatoribus ſint, a me producuntur, vt oſtendam, quod ſi aliud in præſenti quæſtione ius conſtituitur, facilis aperietur improbis via ad circumueniendum ius & nomen legationis. Sed firmiùs adhuc diſputo. Qui miſſus ſpeculator probabitur, ſi certum eſt nomen legationis? Quod deprehenditur omnia exploratoris more agere? At hinc minimè infertur, eum non eſſe legatum: vt vt inferamus, malum eſſe legatum. Eſt verò hæc alia quæſtio de improbo legato a noſtra, in qua, ſi omnino legatus non eſt, quidquid nomen præferatur, diſpicimus. Diſputamus, ſi, nequidquam obſtante nomine, cum iſto tamquam cum non legato agemus. Agendum tamquā cum legato dicimus, quia vanum legati nomen non poteſt probari. Nam quomodo: ſi non hominem mittens prodat, aut ipſe ſe? Nec enim credendū eſt, Volſcos illos, alioſue conuictos aut ſua, aut ſuorum voce fuiſſe. inſipida enim Poſthumij ſapientia, aliorumque: qui nomini pepercerint, quod ipſi prodidiſſent hoſtes. Itaque ſi conſtaret, exploratorem veniſſe: ego, quin inane, & ementitum legati nomen nihili eſſet, potiùs arbitrarer. vana namq; nomina reiecta paſſim. Sed illud dico, conſtare de re iſta non poſſe.

L.30.D.de teſt. Ergo (vt loquitur Paulus I.C.) hîc nō ius deficit, ſed probatio. Aliam a confeſſione mittentis, ipſiusque legati probationem nō excipio: quia nulla eſſe alia poteſt. At huius generis aliam quæſtionē videamus. Quid ſi legatus mittatur in hoc ſolùm, vt moretur, fruſtretur, ludat eum, cui miſſus eſt? id ſolet ſæpe valde cōtingere: vt ſæpe etiam, quod de ſpeculatore protulimus. Nam quem dices caduceatorem Alcibiadis ad Selibrianos? Habet Plutarcus hiſtoriam. Quos Fritigerni legatos ad Valentem imperatorem? Narrat libro trigeſimo pri no Ammianus. Quid ego iſtos, qui admodum ſunt multi, recenſeo? Quæro, quid iuris. Extat Cæſaris

Lib 4. de be Gall. exemplum, qui detinuit. & contrarium Gallogræcorum, qui dimiſere: inquit libro quadrageſimoquarto Liuius de Perſei nuncio huiuſmodi ad eos legato: *Inuiolato fallaci nuncio (quod vix ſperauerat Perſeus poſſe contingere) &c.* Fallacem nuncium dicit, quòd illuſe-

illuſerit Gallis non ſemel. Age verò ex opinione Perſei an nō ſtat definitio præſentis quæſtionis? Deſperatio enim ſignificat cognitum Perſeo ius, ne inuiolatus dimitteretur. Et rem certè improbabilem ab his legatis agitari, quis neget? Martius legatus Romanus vituperatus eſt ab illis Romanis vehementer, quòd huiuſmodi artes in legatione & ipſe exercuit: ab illis Romanis, qui ius, & honeſtum iniuriæ, commodoque anteſtare volebant. Hi iſtas appellarunt Græcas, Punicas artes: calliditatem Græcam, verſutiam Punicam, inquit Liuius. Ceterùm nō eſt hoc ſatis, vt animaduerti in legatum grauiùs debeat, quàm vt dimittatur. Cur enim hic ius diuerſum ab eo, quod ſpeculatoribus ſcripſimus? Adderet aliquis, quòd vt illuditur legatis non rarò, ita & legati illudere alijs poſſe debent. at ego iniuſtum dico, vt illudatur legatis. Ridiculum autem eſt quod quidam mihi in propoſito obijciebat. Quid (dicebat) opus prudenti legato eſt, ſi non timetur, ne homini quiſquā illudat. Hoc enim eſt, atque ſi quæreretur, cur armis induimur, ſi patricidium eſt, hominem interficere. cur arcas, domum, tabernā claudimus, ſi furtum facit, qui quid nobis inuitis contrectat. & id generis reliqua. Vt verò capiti huic finem faciam, dico, probare me Gallos, Cæſarem maximè imporbare. & hic proculdubio facinus illud patrauit, quòd tutum, commodumque videbat, tam multos, tam nobiles in poteſtate Germanos habere. Quamquam ſi iſtam definitionem tenemus, alteramque ſuperiorem, vereor, ne certa ſecuritas delictis propoſita ſit. Si enim ſpeculator puniri nō poteſt, ſed tantùm dimitti, quid id eſt, niſi compotem voti facere ſpeculatorem? & is enim diſcedere mox omnia ſpeculatus volebat, & miſſus in hoc erat. Qui etiam legatus iam illuſit principi, quid ipſe aliud voluiſſet, quàm ad principem ſuum, re benè geſta, reuerti? Fortè igitur diſtinguendum eſt, vt, qui iam ſpeculatus ſit, fruſtratus ſit, is dimitti non debeat: atque iuſtè adeo timuerit ſuo nuncio Perſea: nam ille (vt dixi) fallax. At ſi in ipſo legati aduentu verſemur: vt in ſpecie Cæſariana eſt: quid non dimittantur, non video, aut non reijciantur potiùs. Etenim, iure gentium non puniri propoſitum, certum eſt; niſiq; facta reſpici, & res facti. Semper ergo Cæſar vituperandus? Si ſcilicet ſic ſe res habuit, vt non alia cauſſa interfuiſſet: quæ factū eius maximè comprobaret. Verùm

Lib. 42.

cauſſa interceſſit iuſtiſſima.nam ius gentium violarunt Germani violatis inducijs:neque hoc ſolùm, quod ſatis futurum non fuiſſe alibi dicam, admiſſum ab illis eſt;ſed & ludificatum per eaſdē legationes Cæſari fuit.Eaſdem dico,etſi aliæ atque aliæ fuerint legatorum perſonæ:quoniam eadem cauſſa, ijdem litigantes. Hæc
In ſelec. de legat. noſtra opinio eſt. quidquid apud Appianum Cato decreuerit in Cæſarem duriùs.

CAP. V.

De interdicta legatione.

NVNC videamus,ſi ius adſit legationis illi, qui nomine, réque legatus aduenit: ſed interdictum cum eſſet legationibus ab eo , ad quem itur.Etenim hoc frequentiſſimè contingit. vt videre apud Liuium
L.lib.22.37.41 42.D.8.A.29. H.9.T.3. eſt benè ſæpè: & apud Dionyſium, Ammianum, Herodotum,Thucididem.Denuntiatum Ætolis, habitos eos iri pro hoſtibus,ſi legati venirent.Legatis Perſei dictum,non venturos tutò . Curiolanus interminatus eſt, pro exploratoribus ſe ducturos,qui adfuerint. Et apud Heliodorum libro primo,in ſimili caſu iuſſis legatis abire mortis pœnam dictā,cognoſcimus.Atheniēſes igitur,Achęi,Romani,viri ſanctiſſimi Curiolanus & Theodoſius ius hoc legationibus interdicendi,omnes vſurparunt.ius eſt igitur. Et quidem ni prohibere liceret, ne legationes ad ſe mittantur:hoc vno ſatis iura gentium perturbarētur, quæ rerum dominium diſtinctum,inuiolatum eſſe volunt,iubéntque.Homo enim(legatus is eſt)in alieno ſolo alienus inuito domino ſiſteretur neceſſitáſque a principe principi iniungeretur , hominem ſibi nō ſubditum in ſubdita ſibi terra habere. Verùm de re perſpicua non eſt diutiùs diſputandū. Videre tamen oportet, vt aliqua ex cauſſa fiat hæc prohibitio. alioqui iura gētium immutabilia mutari,tollique a nemine poſſunt. Quare Annibalem,quòd legatos Romanos non admiſerit, rectè, & ita apud Cartaginenſes ſuos incuſat
Liu.lib.21. Hanno: *Legatos ab Socijs pro ſocijs veniētes bonus imperator veſter in caſtra non admiſit:ius gentium ſuſtulit*. Et quòd legati Romani fuga vix ab impetu Syracuſanorum euaſerint;ait Liuius,eo facto

non

non modò pacis, ſed ne belli quidem iura relicta eſſe. Sed quænam iſthæc cauſſa ſit, propter quam non admittere legationes cōceſſum eſt, vnius non eſt definitionis. Improbā prætexuit Annibal, quod ſibi in tanto belli apparatu degenti otium non eſſet legationes audire, neque has totas præſtare poſſe tot inter, barbaraſque nationes. An enim barbaris incognitum ius legationum? An legationes non auditas in longè maioribus occupationibus? Achæi ſ. rtaſſe non malè decreuerunt, ne legatos, ne nuncios admitterent regum, quoniam ſic ſollicitari ſe poſſe aduerterunt. & Senatus Rom. legato Pyrrhi nunciandum regi iuſsit, ne legationem cum donis poſtea mitteret. Cartaginenſibus reiectis dixit, ex more Romano non eſſe, vt dum hoſtis degeret in Italia, tractarent Romani de pace. propter quam ſcilicet illi legati Cartaginenſes venere. & Annibal adhuc in Italia erat. Si mora fiat rebus agendis; ſi dignitati labes aſpergitur; ſi quod periculum creetur ex hac facultate mittendi legatos: hæ, & ſimiles profectò ſunt ſatis iuſtæ cauſſæ prohibitionis. & id indicata ſuperiùs exempla confirmant. Iam verò ſi licet hoc prohibere: quî alterum non conſequitur, vt miſsis iura legatorum non maneant? Si licitum eſt, vetare, ne legati accedant: illicitum eſt mittere: illicitis autem ius non adſiſtit. Sic itaque ad Coriolanum cum proficiſci mox poſt illam interminationem legatæ mulieres debuiſſent: & timeretur valdè, ne eas Coriolanus retineret; non ſatis fuit, iura legationum obtendere, inque iſtis ſpem facere, ſed ius quoque ſupplicum in medium prolatum eſt. Et hos quidem ſupplices rectè dicemus, qui accedunt prohibiti. nec alio ſunt (vt arbitror) iure tuti, quàm quòd ſupplices Deo curæ eſſe, nouimus abundè, & diſertè Dionyſius ſcribit. Ille etiam Romanus conteſtatur, qui ad deditionem Ætolos adhortatus; *Verecundiam*, inquit, *ſupplices violandi imponetis Romanis.* Et ita ſanè accidere ſolet, ne violentur. Dicitur ſemel & iterum apud Ciceronem lib. 1. de Inuent. vt ſupplicum miſereatur, vulgò omnes probare: & in ſupplices ſæuire ferinum penitus eſſe. Sed Athenienſes, quibus non ſupplex legatus adſtitit, metu omnino manus continuiſſe, dicendum eſt. Nam, ius fuiſſe ipſis in legatum agendi, nos declarauimus. Quid ergo de ea Ligurum ciuitate exiſtimabimus, quæ legati Romani

Liv. 24.

Liu. li. 41. App. in ſelect. Dio in Select.

Liu. lib. 36.

Polyb. in Select.

ſeruos occidit, ipſum legatum fuga vix elapſum vulnerauit, quòd iuſſus abire negauit ſe id facturum legatus? Romani bellum propterea indixerunt, captam ſeruam faciunt ciuitatem. At quòd ex facto ius oritur, nos qui omnes facti rationes non nouimus, nec reſpondere aliquid poſſumus. In ambiguo contra legatum dicerem, quia cauſſam Liguribus fuiſſe, cur reſpuerent legationem, adfirmare decet, & propterea vi irrumpentem licuiſſe vi repellere. Cauſſam ſtetiſſe vel hinc dicitur, quòd eam Romano legato narrare, neceſſum non fuerat. itaque cauſſam adſerentibus hoc ſolo proſpectum de cauſſa eſt. Satiſque habent hi, ſi mox ad amouendam violati iuris ſuſpitionem, & belli forſitan aduentantis calamitatem, cauſſam iſtam exponant.

CAP. VI.

Qui alterius læſit legatos ſuis non ſperet ſtare ius legationis.

SED quid, ſi interdictum non eſt legationi, is tamen qui nunc mittit, cauſſam aliquam præbuerit aliquando, quæ faciat, ne & ſuis legatis ius legationis præſtetur? Dicamus, ab hoc violatos legatos alterius, ad quem nunc mittit ipſe. Eſt maioris Africani exemplum, vt nihilominus iura legationis adſeruentur legatis ſuis. nam ille intactos dimiſit Roma redeuntes Cartaginenſium legatos, & in caſtra Scipionis tempeſtate depulſos, hoſtes iudicatos a ſenatu, patratoque in legatos Romanos nefario a Cartaginenſibus facinore. Rogatus (inquit Appianus) Scipio, quid fieri illis legatis deberet: Nihil tale, reſpondit, quale Cartaginenſes. Variat autem ab hoc auctore Liuius in quibuſdam: ſed & ipſe idem a Scipione factum adſeuerat. Scipio (ait) etſi non induciarum modò fides a Cartaginenſibus, ſed etiam ius gentiū in legatis ſuis violatum eſſet, tamen ſe nihil, nec inſtitutis P. R. nec ſuis moribus indignum facturum dixit, & legatos dimiſit. Et ratio adhuc poteſt in hanc definitionem adduci, quod ſi ob ſui principis crimina legatus plecti valeret: nulla omnino ſupereſſe poſſe in bellis legatio videtur: in quibus & hinc & inde maximæ, multæq; offenſiones ſemper exiſtunt, & mala importantur ingentia. An verò pluris eſt momenti in legato vno, & verbo forſitan, non aliter, viola-

De be. Pun.

Lib. 30.

violato; vt violatoris legatus violari etiam poſsit, quàm in tot illis malis, quæ P. Cornelius Lentulus, a Cartaginenſibus illata Romanis, commemorat? Iſta pluries fœdera violarunt, & iuramenta pluria. Vnus Annibal quadringenta deleuit oppida Romanorum, vaſtitatem toti intulit Italiæ, nullum non crudelitatis ſummæ, perfidiæque genus omiſit, trecenta millia hominum Romanæ militiæ occidit. & quid non? Ius tamen poſt hæc omnia fuit Cartaginenſibus, Annibalique, legatos ad Romanos mittere: & legatis ius ſuum datum eſt. An dari non debuiſſet, ſi digito tantùm attigiſſet Romanum legatum? Quæ præterea ratio eſt, vt in homine innocente ſons puniatur? Verùm nec me mouet Scipionis exemplum, nec proximę rationes, quominus credam, ius legationis ei non ſtare, qui miſſus a principe ſit eius iuris violatore. Iura etenim violanti ſi ius non preſtatur, ei non violari, ſed ius reddi, creditum eſt. Et Franciſcus I. rex Galliarum cum a Carolo Imperatore ſuum legatum detineri audiſſet, ipſe Imperatoris legatũ quoque detinuit. Detinuit & Beliſarius legatos Gothorum donec dimitteret Gothus legatos Iuſtiniani domini ſui. Neque huius generis alia exempla deſunt. Sed quid alia recitem, ſi Scipionis recitatum exemplum in iſtas partes concedit? Romanorum inſtituta, ſuoſque proponit mores Africanus, ne ſit in eos legatos deſæuiendum. & illa, & iſti penitus ad clementiam, ad magnanimitatem erant. Audiamus verò & Polybium eiuſdem ſcriptorem hiſtorię ait, a Scipione pro ſalute legatorum reſponſum, non quid æquum eſſet Cartaginenſes pati, illud agere oportere, ſed quid facere Romanos deceret. Quo reſponſo, quid iuſtum fuerit, declaratum eſt. & de iuſto nos quærimus. Adde, hoc expreſſè confirmantem Xenophontem lib. 5. de exp. Cy. *Quis* (inquit) *ad illos audeat cum caduceo venire, quorum caduceatores occiderit?* Satis, ait, tutum non eſt. Ratiunculæ, quæ attexebantur, non valent. Bellum enim iuris gentium eſt, vt ipſo, bellicíſque facinoribus ius gentium non lædatur. Quare vt tot illa ſuſtinuerit populus Romanus a Cartaginenſibus mala: quia iure belli ſuſtinuit, ius in ijs gentium violatum dicere nequijſſet: & propterea nec ipſe debuit violare, quod feciſſet, ſi ob illa violaſſet legatos ad ſe poſtea miſſos. Inſons verò quî iſte dicetur, qui nocentiſsimi perſonam

App. de be. Pu in fi.

Guicc. lib. 18.
Procop. lib. 2. be. Go.

Lib. 15.

induit?Sed ſic numquam in ſubditos agere principis liceret ob offenſam a principe præſtitam; & nullum bellum eſſet. Maiorem ſpeciem habet illic, quod de iuramentis, fœderibuſq; violatis di-ctum eſt.Horum enim temeratoribus nulla fides (ait ille) reliqua eſt apud amicos,ac inimicos. Sed nec propterea vel infirmari ius legatorum debet,qui in id ſunt inſtituti,vt ratio cuiuſque mali cōponendi ſupereſſet. Et ſanè quidquid geſtum eſt, videmus in hiſtorijs paſsim,remedium hoc retentum ad mala quæq;. At ſi quis contra alium eo ſpreuerit, non eſt, cur ipſe pro ſe illum vti velit, cupiátque: ſed hoſtiles expectet potiùs inimicitias. quibus ſcilicet omnia iura belli,omniſq; penitus tollatur communio. Vt etiam decreuerunt aliquando Athenis contra Megarenſes,quorū culpa Athenienſem interijſſe legatum,ferebatur. Et huiuſmodi bellum, in quo nec tutus quidem eſt vel caduceatoribus acceſſus,tum aliàs tum noſtro hoc ſæculo a Rhœtis cum Maximiliano geſtum Imperatore huius nominis primo,reſciuimus. Ceterùm hoc nō fuit argumenti propoſiti. Statuo igitur, legatos ab huiuſmodi principe ad alterum tutò non ire, cui iura legationis violata ſunt. aliàs legatos violari non oportere: nec ſi alia gentium iura violata forent:nullum enim maieſtate,firmitate cum hoc conferendum eſt. Et ideo ni alia patraſſent Germani,de quibus diximus cap.4.mala: iuſtè Catonem cenſuiſſe cenſerem, qui Cæſarem illis ob detētos legatos dedendum ſuaſerit:etſi inducias violaſſent. Et hîc verò illud repeto, quod ſuperiore capitulo ſcripſimus, ſupplicibus adhuc ſuum ius eſſe, vel ſi eorū princeps violarit legatos alterius, ad quem ſupplices proficiſcuntur. Atq; in hanc rem libenter profero, quod de ſeniore Africano Appianus ſcribit, præſtaſſe eum Cartaginenſibus iterum ad ſe venientibus ſupplicatum omnem ſecuritatem. Adhibuerunt autem legati hi ſupplices & ſanctiſsimum Caducei ſignum,quod vel Achilles reueritus fingitur,vt vt diuerſa minitatus quoque fuiſſet.Ac ſanè non mirum,ſi Caduceatoribus idem ius attribuitur,quod ſupplicibus.nam vtriq; ſunt ſub diuina tutela.Sic vbi periculū legatis eſt.Caduceatores miſſos,qui illis tutum acceſſum impetrarent, legimus non infrequenter. Sed de ſupplicibus legatis non violatis, etſi hi forēt ab eis,qui peſſimè iura hæc temerauerint, exemplum & apud Agathiam eſt lib. 4.

App.li.5.Celtice.

Plut.in Peric.

Alc.li.8.Pare. c.18.

De be.Pun.

Euſ.ilia.1.

Liu.lib.34.45. 37.

Habet

Habet verò & illam præclaram ſententiam Plato: *Omnium tum in ciues, tum in peregrinos maximum eſt peccatum, quum peccatur in ſupplices. Deus enim afflicti ſupplicis cuſtos eximius.* Iam ad alia. *Lib. 5. de legi.*

CAP. VII.
An ſit cum rebellibus ius legationis.

VT verò is, qui iura deſpexit legationis, indignus iudicatus a nobis eſt, cui eadem iura ſeruentur: ſed ſuo ſe delicto illis priuaſſe, creditur. ita, ne delinquendo iura hæc quiſquam aſſequatur, longè certius eſſe, ac videri meritò debet. Qui ergo deficiunt, id eſt, qui ab his, quorum ſub imperio ſunt, deſiſtunt, ij vllas legationes mittere ad illos non audeant, a quibus defecerunt. Atque recens eſt admodum quod cum Belgicis legatis rex egit Hiſpaniarum. Etiam Dionyſius legatos Syracuſanos coniecit in carcerem: quum ea ciuitas, pulſo in arcem tyranno, ſe in libertatem adſereret. Ego hic tyrãnum a rege non facilè ſepararim: quia in eo, quod quærimus, paria eſſe vtriusque iura videri poſſunt. Vterq; dominus eſt. & iure forſitan vterque tenet principatum. Nam vt volentibus imperet rex, inuitis tyrannus. Haud tamen minus princeps tyrannus eſt. quoniam nec princeps non eſt, qui armis, & bello imperium quæſijt, quiq; inuitis maximè dominatur. Et libet ſanè Platonis ſimilitudinem qua ille ad idem vtitur in Politico, huc adferre. Vt medicos ſcilicet nihilominus appellamus eos, qui inuitis, atque qui volentibus medentur; modò rectè medicinam exerceant. ita tyrannum a rege non diſcreuerimus in propoſito: nec aliàs, niſi aliud obſtet. Soleo propterea illos etiam ridere, qui & tyrannum & iniuſtum dominum Turcam clamitant imperatorem. Et ſcio, Ariſtotelem pro nobis ſtare. Quæ etiam in contrarium afferri poſſunt de tyrannidis cauſſa improbata, & infirmiſſimo ipſius iure, cum id generis alijs; ea apud me firma non vſquequaque ſubſiſtunt. Si enim per neceſſarium lapſum ad tyrannidem deuenitur: cur dignum qui ſe imperio ſentit, is illuc non admittatur? prædam expoſitam cur non capiet? Itaque Georgio Bucchanano non ſubiraſci nequeo, qui duos iuſtiſſimos principes (ipſe & fatetur iuſtiſſimos) Hiero-

Plut. in Dio.

L. 3. Pol. c. 10. 11. 12.

In lib. de re. Scot.

nem Syracuſanum, & Coſmum Medicem latronibus duobus aſſimulat, qui prædam quidem iuſtiſſimè diuidere, & adminiſtrare ſoleant, ſed iniuſtiſſimè eam confecerint, adeoque latrones ſint. Nam vt de reliquo iure magni Etruriæ Ducis ſileam: quî quæſo latro Coſmus, ſi ciuitatem ſui iuris fecit, dominijque, quæ dominum inuocabat? Scilicet vir præſtãtiſſimus domino barbaro, aut externo ſubijci ciuitatem ſuam debuit expectare: aut clauum alijs ſinere, qui ſcopulis, tempeſtatibuſque nauim illam continuò obiecíſſent: cum ipſe vnus quaſi in portu eam habere ſcierit. Quod præterea in tyrannos dicitur, iure eos non regnare, quia iure ipſis regnum eripiatur, id profectò debile eſt. Etenim nec iure regnaret Turca, regnaſſetque populus Romanus olim, quorum eadem hæc condicio, quæ & tyranni eſt. Scimus & illa, & alia contra hãc noſtram opinionem produci poſſe, maximè verò odioſiſſimum ipſum tyranni nomen. Sed ea ſunt fortiora. Ego autem nec tyrãno faueo. verùm quæ ſint cum ipſo iura doceo ſubactorũ. Et aio, iura legationis non eſſe: ſicut nec cum alio principe ſunt. Ac propterea neque vituperari Conſtantium potuiſſe crediderim, ſi in legatos animaduertiſſet, vt minitabatur, quos Iulianus, in conſortium imperij a Gallico exercitu euectus, ad eum miſerat. defector enim & Iulianus, & exercitus. Sic aliò potiùs reſpectu Theodoſius Maximi tyranni legatos, item tyranni Eugenij exceperit, non iure vllo conſtrictus. Imperitè verò Hotomanus in illuſtribus quæſtionibus ius immo gentium cum defectoribus eſſe ſcribit. Quod namque Paulus I.C, defectores eſſe hoſtes dicere videtur, vſque eo vt ciuitatem amittant: tantùm abeſt, vt probet, iure gentium eos cenſendos, vt probet manifeſtè contrarium. nam ſi vſque eò tantùm ſunt hoſtes, capiteúe minuuntur, vt ciuitatem amittant; profectò non erunt tales, quare conſultum ipſis, iuſúe aliquod quæſitum exiſtimetur. Vnum porrò monendi ſumus, ne de alijs rebellibus, defectoribusq; hîc definitum exiſtimemus, quàm de his, quos ſub dominio fuiſſe diximus. nam qui ab amicitia, fœdere, comi etiam obſequio defecerunt, his eſſe ius legationis reliquum adfirmo. Quoties enim Volſci, Latini, Hiſpani, alij innumeri a Romanis rebellarunt, & eorũ tamen legati iure hoc gentium tuti ſic crediti ſunt, vt frequentiſſimè, citraq; omnem periculi ſuſpi-

Amm lib. 21.

Ruff. eccl. hiſ. lib 10. c. 26.

Zoſim. lib. 4.

Liu. lib. 5. 6. 29 &c.

App. lib. 1. de be ci.

ſuſpicionem proficiſcerentur? Hi retinent ius legationis, quoniã & habebant ante rebellionem: quod ſubditis non erat: & ex reliqua iniuſtitia illud non perditur. Subditi autem rebellando quærere ipſum non poſſunt, quia delictis iura non adquiruntur.

CAP. VIII.

Ius legationis cum prædonibus non eſt.

SED neque prædones eo iure gentium fruuntur, aut piratæ: quoniam ipſi humanam a ſe omnem ſocietatem penitus repulere, trahuntque (quantum in ipſis eſt) orbem terræ ad priſtinam illam naturæ feritatem: quando ſcilicet homines vitam tractabant more ferarum, quodque obtulerat cuique prædæ fortuna ferebat, ſponte ſua ſibi quisque valere, & viuere doctus. Quã (vt Thucidides notat) nec dedecori fuit, latrocinari, ſed honori potiùs. Quo etiã nomine Mercurius, alijq; Homero maximè cõmendãtur. His, qui ab omni cõmunione ſe ſubduxerũt, ac(vt Florus libro tertio loquitur) fœdus hũmani generis ruperunt, ius, quod nihil niſi cõmunio, & fœdus eſt, quî manet? Auſcultandũ ergo Ciceroni, qui libro tertio de officijs, belli iura negat cum iſtis intercedere poſſe, qui ſunt omnium cõmunes hoſtes. *Latronibus* (alicubi Liuius ait) *veriùs, quàm hoſtibus iuſtis, &c*. & alio in loco de prædonibus ſupplicium ſumptum ſcribit: & belli ius ipſis, vt alijs, in re iſta datum non eſſe. Quæ & de fugitiuis ſcribit Florus lib. 3. Quæ cum ita ſint, quid eſt, quod Cæſar libro tertio de bello ciuili ipſum hoc ius legationis datum immo prædonibus ait? Cum impetrare a Libone non potuiſſet, vt liceret ſibi legatos per ipſum mittere ad Pompeium, id quaſi cum exprobratione mox voluit pronunciari. *Liceretne ciuibus ad ciues legatos mittere, quod etiam fugitiuis ab ſaltu Pyræneo, prædonibusq; licuiſſet.* Credo autem de his Celtiberis, atque Iberis ſentire Cæſarem, quos victos a Martio, Appianus commemorat, & de Viriato, ſuisque: quorum idem meminit auctor: atque latrones nominat paſſim: & legationes eorũdem narrat ad Romanos duces. De quibus ſcilicet ſi Cæſar ſenſit, ipſe oſtenderit, Appianusque, latrones illos fuiſſe: ego enim non puto. Quamquam ſi ſunt, nec me ra-

Lucr. lib. 5.
Lib. 1.
Hy. in Mer.
Pla. lib. 1. de re.
Lib. 40.
Lib. 34.

App.de be. Mitr. tio mouet,qui ius factorum conſidero,non facta ipſa. An a Spartaco,& ſimilibus legationes?Traditur ,ab eo inuitatum Craſſum ad fœdera: & renuiſſe hunc ob rei indignitatem. ceterùm nullas audio miſſas legationes. Quid Tacfarinas latro Afer?is ad Tyberium imperatorem (huc ſcilicet,vt Tacitus loquitur, arrogantia venerat)legatos miſit. Sed excanduit Tyberius.adfirmauit contumeliam ſingularem factam a Tacfarinate ſibi,quòd prædo ſecum quaſi perduellis ageret,hoſtisúe publicus. Si prædoni id iuris eſt, quid excandeſcit, quid iniuriam ſingularem cōquæritur princeps Romanus? quid arrogantiam accuſat Tacitus?Ex eo igitur hæc ſunt, quod certum ſit, prædonibus iura iſta non eſſe. Ergo miror adfirmare Hotomanum, ius gentium, & cum fugitiuis, & cum prædonibus eſſe: ius ipſum legationis ex eo,quod Cæſar vocitabat. Quaſi ius contenderit Cæſar in illo facto fuiſſe: aut id contendere eum oportuit; & non potiùs in Pompeianorum inuidiam fuit,(id quod Cæſar quæſijt) datam & his legationis ſecuritatem, quibus danda non fuerat, cum ciuibus interim non daretur, quocunque eos tandem nomine Pompeiani cenſerent. Verùm Tryphonini I.C. ſententia idem probari Hotmanus aſſeuerat. Et ego eiuſdem I. C. teſtimonio noſtram confirmo opinionem. Agitedum, videamus. Ait Tryphoninus,quod ſi dominus ad rem ſibi ereptam repetendam non venit,is,apud quem depoſuit illam prędo, reſtiuere prædoni, latroni, furi eandem iure gentium debet. quod ſi dominus adſit, reddi huic magis oporteat. Qui ius hinc deducet latronibus gentium?Latro ibi non eſt, vbi dominus non eſt, qui illum coarguat latrocinij. & nec latronem eum quidem nominat domino abſente I.C. Sed inquit: *Rem accipiat is, qui dedit.* & mox: *Ei reſtituenda ſunt, qui depoſuit.* Hoc videlicet eſt,quod in principio ſcripſit,præſentis ſuæ inſpectionis alteram hanc partem eſſe, quum ius inter eos tantùm, inter quos contractum eſt, nullo extrinſecùs adſumpto æſtimamus. Quod itaque iure gentium depoſita res fuerit reſtituenda,id fit vt cum deponente,non vt cum latrone. nam latroni negat idem I.C. reſtituendam. *Sceleſtiſſimo*, inquit, *adempta ſunt.* & latronem, domini perſona demum adſumpta facit. Aliàs latro is potiùs eſſet,qui depoſitum deponenti non redderet. Nunc breuiùs. Latro vbi quis eſt,ibi ius huic non

App. de be. ci. lib. 1.

Lib. 3. annal.

L. 31. D. depo.

datur

datur. Eſt verò nō aliter latro, quàm ſi perſona domini admoueatur. Ergo quòd ius illi detur non admoto domino, eſt, quoniam latro ille tum non eſt. Iam domini perſonam in quæſtione noſtra rectè tenuerit magiſtratus, publicaque alia poteſtas. *L.13.D. de Of. præſ.*

CAP. IX.

Vtrum in ciuilibus diſſenſionibus maneat ius legationum.

AT illud etiam paulò diligentiùs conſideremus, quod Pompeianis exprobrabat Cæſar, ſi in ciuilibus diſſenſionibus iura legationum non maneant. Et eſt ſanè periculoſiſſimum has mittere. Nam legati Senatus, Vitellijq; a Flauianis violati. & Vitellius ipſe cum alijs idem fecit. Item miſſi ad legiones Germanicas (recenſet libro primo annalium Tacitus) vix apud Deum altaria ſeruati. Violati ſunt ab aduerſarijs ij, quos miſit Sylla, vt de pace agerent. & alius Marij legatus trucidatus a Syllanis. Antonius etiam flagris miſſum ab Auguſto cæſit. Sic ſcilicet per ſummā rabiem res agitur (quod Tacito alicubi notatur) in bellis ciuilibus. Adde, quod cum vtraque pars rapiat ad ſe titulum ciuitatis, & aduerſarios cenſeat patriæ hoſtes: hoc prætextu & ius in legatos ſæuiendi ſibi adſumere ſolet, tamquam in ſubditos, atque rebelles. Euentus enim mox iudicabit, quid fuerit. Siquidem victi hoſtium numero cenſeri conſueuerunt. Et hæc ita ſe haud dubiè in facto habent. Ad ius quod ſpectat, diſtinctione quadam quæſtionem ipſe componerem. quod in diſſenſione aut pars vtraque totum ad ſe ciuitatis ſtatum, æquámue portionem & verbo, & facto proponit pertinere: ac legationis vtique ius inter iſtos ſiet. & rectè exprobratum a Cæſare fuerit, quod retulimus. Si verò quidam ſint, qui tantùm ſibi nec audeant, nec poſſint vindicare. his neque iura legationis, neque alia iura gentium tribui oportere, decernimus. An Catilina legatos habere Romæ potuerit? Scribit quidem Salluſtius, Manlium Catilinę ducem legatos ad Q. Martium Imperatorem Rom. miſiſſe, eoſque reuerſos ad Manlium inuiolatos. Sed necdum hoſtis erat Manlius: nec ego hoc libro de factis, verùm de legitimis ſententiis diſputo. nam & fugitiuis, & prædonibus, & alijs omnibus, quibus iura dempſimus legationum, paria cum

Tac.lib.3.hiſt. & lib.1.

Liu.lib.85. Val.lib.9.c.8. Plut. Plut.in vi. Otho. Dio lib.41.

Manlianis legatis exempla eſſe poſſe, non ignoramus. & ab Apuleio miſſos legatos, libro tertio nobis narrat L. Florus. Rectè itaque de legato Antonij Cicero Philippica octaua, portas illi vrbis patere non debuiſſe clamat. atque ego non quòd hoſtis Antonius fuerit, ſed quòd fuerit talis hoſtis, cui iura hæc gentiū concedi nō debuiſſent, & Ciceronis vocem probo, & eum legatū Romæ (ſi libuiſſet) ſupplicio affici potuiſſe contendo. Nā qua ratione Fuluij adoleſcentē filium in Graccana ſeditione a patre ad Senatū, quo cum de pace ageret, miſſum, etiā in Robore necarunt? Ait quidem Plutarcus facinus crudeliſsimum, & Paterculus vnicum ſcelus libro ſecundo appellat. Sed me iſtæ hiſtoricorum ſententiæ non mouent. Qui facerent ſapientiùs, ſi (quod & viris doctis probatur magis) ab iſtiuſmodi iudicijs abſtinerent. Cur ſcelus? quia immunem delictorum, aiunt, adoleſcentem fuiſſe. Quod falſum eſt. nam cum patre, reliquaque ſeditioſorum factione in Auentino fuit, & pro ijſdem legatione fungebatur. Quamquam dicit Appianus captum, & dato mortis arbitrio necatum: quòd primùm venienti denunciatum fuit, ne poſtea vlla veniret legatio, & contempſerit adoleſcens iſtam denunciationem: ideoque tamquam non iam legatum comprehendi iuſſum. Quod pro adſertione capitis quinti eſt. Sed & hanc, & priorem determinationem ſingulis adhuc rationibus adſtruo. Priorem ſic. Si cum hoſtibus ius eſt legationis, cum quibus & in exitium contenditur: magis eſt cū his, cum quibus non contenditur in exitium reip. nec vice hoſtium ſunt. Tales autem illi ſunt aduerſarij, & tales Græcos inter ſe belligerantes nuncupat Plato. Ergo cum illis omnino erit ius legationis. Et quidem ſi ciuili gentium (vt ita cum Cicerone loquar) bellis ſoluto ius manet legationum: cur non maneat inter ciues iure ciuitatis turbato? Et quidē lib. 1. de bellis ciuilibus Appianus narrat, legationes inter Cinnanos, & Octauianos vltro citroque commeaſſe: & inter alios aduerſarios. & lib. 2. inter Antonium, Lepidumq;, & Cæſaris interfectores: & li. 3. inter alios atq, alios: & reliquis pariter. Secundum ſic. Subditis non eſt ius legationis. nam & iure ciuitatis tenentur. At iſti ſeditioſi ſunt ſubditi. nec enim delicto ſe quiſquam nexibus ſoluit ciuilibus. Ergo iſtis non ius eſt mittere legationes. Diſputemus de ſubditis.

Oroſ. li. 5. ca. 2.

Eod. me hiſ. c. 4.

Ap. lib. 1 de bel. ci. l. 21. D. de capt.

In Menex. & lib. 5. de rep.
Lib. 3. de fini.

CAP.

CAP. X.

Nec a ſubditis, nec ad ſubditos rectè mittuntur Legati.

NON eſſe ius legationis cum ſuo domino ſubditis, hinc patet, quod potentioribus & dominis pares eſſe non poſſumus. legatus autem ſe vt parem gerit principi, apud quem agit legationem, & ciuilibus præceptis non adſtringitur, aut vlla eiuſdem principis ciuili conſtitutione. Quod mox videbimus. *Lib.6.* Et huius rei teſtimonium in Liuio luculentiſsimum extat. qui colonis quibuſdam & denegata ſcribit, quæ petebant, & ſimul denunciatum Senatus verbis, faceſſerent properè ex vrbe ab ore atque oculis populi Rom. ne nihil eos legationis ius externo, non ciui, comparatum tegeret. Et libro vigeſimo nono, legatos quarundam coloniarum retentos etiam ſcribit, & ex S.C. *Lib.3.* Legitur & apud Agathiam, quod Miſiani oratores, dum petulanter agunt cum pręfecto Romano, fuſtibus cæsi ſunt, & ſemineces ad ſuos remiſſi. Sceleſti dicuntur Miſiani, qui præfectum propterea occiderunt: & nefarij, & perditi homines, & temeratores iuris gentium, quòd mox legatos Romanos necarunt. Quæ his adferunt declarationẽ dictis capite quarto. nempe legationis iura ſuis principem legatis non tollere, qui læſit alienos, ſi lædendi ius habuit, & auctoritatẽ: vt ſcilicet præfectus Romanus in ſubditorum legatos habuit. Sed tria adhuc facta inſignia narro. *Guicc.lib.13.* Primum hoc eſt. Laurentius Medices legatum Ducis Vrbinatis eo nomine retinuit, quòd Papæ ſubiectus eſſet legatus: vices verò Papæ Laurentius agebat. Num iuſtè factum? *Liu.lib.43.* Illyricum exulem miſit certè Perſeus legatum ad regem Illyriorum Gentium. Ego Medicem non improbo. nam recuſare quis patriam, ex qua oriundus eſt, nequit. vt nec principem naturalem. *L.6 15.D.ad munic.l.4.C.de mu.& orig.* Et de exule quamquam a noſtris tractetur, ſi ciuis deſinat eſſe: illud certiſsimum eſt, eum, ſi ad interdicta loca redierit, poſſe vel ex hac contumacia plecti: nec nomen ſibi poſſe legationis opitulari. Illyricus vel non ex ſubiectis Gentij (latiſſimè enim patebat Illyrium) erat, vel quòd mali nihil paſſus eſt, aliò, non ad ius, factum referatur. Et in hoc quidem legationum argu-

mento remitti de ſummo iure ſolitum, certiſſimum eſt. Quid quoque ſi eum exulem Gentius legatum excepit? excepto denegare mox legationis iura non potuit. Atque hoc eſt, quod contra Medicem adduci valet. nam is ſubditum illum Pontificis admiſiſſe legatum viſus eſt. Et Franciſcus Sfortia Mediolani Dux exercere dominicum ius in legatum Regis Gallorum nequijt, quem legatione apud ſe fungi patiebatur. atque quod illum necarit, dominij iſthoc prætextu non rectè excuſabatur. Nec verò huic definitioni nocet, quod de Menandro quodam traditum a noſtris eſt. quod ſcilicet ſicut in nolentem illum, ciuem hoſtium factum, ciuitas ſua ſuum ius non reſumit: ita in exulem iſtum nec quidquã huiuſmodi reſumatur. Exul enim & proficiſcendo peccat, & in alteram ciuitatem nulla principis, qui in exilium abegit, voluntate veniſſe, poteſt exiſtimare. Secundus caſus hic. Narrat Liuius, caduceatores Perſei retentos a P. Æmilio, ad quem ille legarat. Hoc quid eſt? Victus Perſea, totoque exutus regno quid iura regum voluit vſurpare? Sic ille idem Romanus nec litteras dignatus Perſei eſt, in quibus is ſe regem nominabat. ac eo propterea titulo mox abſtinuit. Ad regem ergo Hiſpaniarum hodie pro Antonio, regno Luſitaniæ eiecto, quis iret legatus? Immo dedi hominem ſibi, & res ſuas omnes peteret populus Romanus, alijque. vt ex Plutarchi Lucullo, Xenophontis libro primo rerum Græcarum, & alijs videre licet. Vltimum, quod volo, eſt. Dedentibus ſe per legatos Ætolis imperat conſul, ſibi quoſdam dedi. *Tum* (recito ex Liuio) *princeps legationis: Non in ſeruitutem, ſed in fidem tuam nos tradimus: & certum habeo, te imprudentia labi, qui nobis imperes, quæ moris Græcorum non ſint. Ad hæc conſul: Nec Hercule magnopere nunc curo, quid Aetoli ſatis ex more Græcorum factum eſſe cenſeant: dum ego more Romano imperium in deditos habeam. Itaque ni properè fit, quod impero, vinciri vos iam iubeo. afferrique catenas, & circumſiſtere lictores iuſſit.* An factum probamus? In ſelectis Polybij de legationibus eandem habemus hiſtoriam. Et narrat iſte, adſtantes Romanos pudore ob factum ſuffuſos: quòd ſic in legatos ageretur publico concilio miſſos. Mihi etiam aſperum factum videtur: quia verbo captum legatũ ſi quis retinere irretitum velit; quæ poteſt bona fides (hoc eſt ius gen-

L.5.D.de capt

Lib.44.

Lib 36.

gentium, & legationis) in homine eſſe? Illud & narrat Polybius, quod cum de hac re Senatus conſultus eſſet, reſponſum ab hoc, vt Ætoli vel ſe per omnia dederent, vel penderẽt mille talenta. Ætolis autem, quid in deditione eſſet, explicare petentibus, nec id datum; & illatum bellum rurſus, ait. Quo facto liquet ſatis, captos verbis Ætolos: nec Romanum Senatum vſiſſe captionem, nec deceptos præmere voluiſſe. Non enim iſthæc ſunt e principum maieſtate. Quare (vt audire memini) Dux Saxoniæ Mauritius Carolo imperatori ſubtiles quaſdam interpretationes aduerſus Lãdgrauij liberationem proferenti. At ego, dixit, te tamquam imperatorem, non tamquam cauſidicum volo pactiones interpretari. Et hactenus de legatis ſubditorum cum principe ſuo. Quid cum alieno? Puto autem ſic mitti poſſe, niſi ſit tamen aliquid, quod ius publicum attingit. Nam mittere tum ſubditi legatos inconſulto principe ſuo ad alium principem certè nequeunt. Aliàs ſi hoc non fiat, rationis eſt, quod dixi. quoniam rerum priuatarum princeps non eſt dominus. videmusque paſſim cum alienis hominibus alios contrahere principes, omnéque genus priuatorum negotiorũ peragere. Subditæ autem ciuitates loco priuatorum habentur. Et his legatis ego tribuendum ius non exiſtimo: quod eſt, ne ciuilibus cõſtitutionibus ſint obſtricti. Ac rationes manent ex his, quæ hactenus diſputauimus. Quid verò ſi negotium iuris publici ageretur? Contrarium ſtatuendum eſſet. nec enim tam eos intueremur, qui agunt, quàm quod agunt, & quo nomine agunt. Agunt verò cauſſam publicã, & publica auctoritate principis ſui. Quare quòd legati, puta, Patauini nominentur, nihil refert, ſi id, cuius intereſt principis, agunt, & huius etiam auctoramento. Cum nomẽ ſolum retineant Patauinorum. quod hîc & publicum eſt. non priuatum; Veneta rep. concedente. Ac de legatis, qui a ſubditis mittuntur, ſatis. Qui etiam ad ſubditos ſunt ſiue ſuos, ſiue alienos, nobile illud ius legationis non habere, verum eſt. Nam etſi non erit ſubditorum de legato principis ſui quidquam ſtatuere: non tamen legatus propterea quid habet maioris iuris. Etenim quod & ius imperandi dedimus ei, illud nihil aliud eſſe volumus, quàm quod mittentis iuſſa concipere queat ex perſona ſua, quæ mittentem refert. Ad alienos autem ſubditos nec rectè mittuntur legati: quia

L.16.D.de ve. ſig.

ſubditi,quod ipſi non habent,dare alijs minimè poſſunt. Si tamē
Hirci. de be. Afr. venirēt,eos ſiſti principi ipſorum a ſubditis volo. Nam quis Cō-
ſidium ferret,qui miſſum a Cæſare ad ſe iuſſit interfici? Equidem
feciſſe Cæſar imprudenter videtur, qui legatum ad hunc miſiſſet
cuius erat Scipio imperator. barbaræ tamen audaciæ notam Con
ſidius non vitat. At in præſenti argumento quæro, quid ſit, quod
Plutarcus in Alcibiade ſcribit, pactum cum Pharnabazo ſatrapa,
vt legatis Athenienſibus ad eius regem iter liberum eſſet. An ſub-
diti ius habent prohibendi,ne ad principem ſuum legati accedāt?
Dicimus, pactum illud fuiſſe, vt ab eo Satrapa legati etiam de-
ducerentur. quod tradit libro primo rerum Græcarum Xenophō
vel quod duces exercituum,limitumúe præfecti,ſimilesque habe-
ant eam poteſtatem. Sic refert lib. 8. Dionyſius, & alibi non ſemel
legimus, impetratam a Romanis ducibus veniam mittendi Ro-
mā legatos. & Liuij libro 42. dicitur legatis Perſei, ne poſtea Ro-
mam venirent. Si venirent, neminem eorum per Italiam ire lici-
turum. mitterentur ad Conſulem, qui in Macedonia futurus erat.
Illud iam dicimus haud dubiè improbandum quod Latini (Dio-
nyſio auctore lib. 6.) cum Volſcorum legatis egerunt. hos ad ſe
miſſos ſocietatis cauſſa petendæ vinxerunt, Romamque in manus
hoſtium deduxerunt. Nec enim Latini erant Romanis ſubiecti,
vt tantum admittere facinus debuiſſent. Notat factum libro ſecū-
do Liuius, factiq; cauſſam; &, legatos violatos a Latinis, dicit. Nec
ſanè cuiuſquam Romanorum fœderati ſimile exemplum extat in
ſimilibus legationibus.

CAP. XI.

De legationibus criminoſorum.

FINIS huius tractatus,quo cauſſas explicamus,propter quas legatis iura non tribuuntur legationum, duas dabit mihi reſiduas quæſtiones. Atque vna de excommunicatis eſt: altera de eo homine,qui in principem aliquid ante cōmiſit, quàm ad illum legationem ſuſceperit. ſi is criminoſus ipſe vir, alterque, qui a criminoſis mittitur, tutò, ac rectè in legationes proficiſcūtur. Et ad excommunicatos quod atti-

attinet, exemplum in Venetis non antiquum habemus. quorum, quòd extra Eccleſiæ communionem poſiti a Iulio papa fuiſſent, recipere legatos multi non ſuſtinuerunt. Sed & de hæreticorum legatis, litteriſque non recipiendis, Cypriani extare epiſtolas, & Concilium Sardicenſe, dicunt. Ac in has quidem partes illud eſt, quod Polybius libro quarto de Cynethenſium legatis ſcriptum reliquit pulſos vndique cum ignominia, narrat: ſic gens ſceleſtiſſima, & pollutiſſima habebatur: & Mantinienſes poſt illorum diſceſſum purgaſſe ciuitatem, & quæque circumſtantia loca expiationibus, ac ſacrificijs. Hæc facta. Quid nos iuris eſſe opinamur? Equidem ſcimus, Venetorum legationes ab alijs Chriſtiani nominis principibus eodem illo tempore admiſſas, & nunc a Pontificijs admitti, quæ a Proteſtantibus proficiſcuntur: & contra. Eſt & cum Maumethiſtis commercium legationum. Et ita ſanè iudico, ne propter religionis diſſidia debeant iura legationum conturbari. Primùm quia & nunc apud omnes ſic agitur, & olim quoq; actum eſt ſemper. Dixi de ijs, qui ſe Chriſtianos profitentur. Res explorata eſt, quod habent ius legationis apud Turcam Perſæ, qui hæretici apud Turcam ſunt. De Iudæis, qui alios, & Iſraelitas legationes admiſerint, quid narrem, quod ignorat nemo? Sic & dicere omitto, Græcis ad Latinos, contráque patuiſſe ius iſtud, vt vt altera alteram eccleſiam ſchiſmaticā & hæreticam iudicarit: hæreticis ad catholicos, & iſtis ad eos patuiſſe. Nota hæc ſunt omnia Secundum argumentum, quo ego in iſtam definitionem inclino, illud eſt: quia religionis ius hominibus cum hominibus non eſt, ſed cum Deo. Cum Deo enim communio nobis religione intercedit: nam hæc eſt inter homines, & Deum ratio: quia eſt religio ſcientia diuini cultus, & habitus obſeruantiæ eius, quo habitu nos cum Deo deuincimur, & religamur. vt Plutarcus definitum a Philoſophis tradit, & ex Platone Picolomineus ſcribit. mihique probè definitum videtur. At iſtam communionem, & ius iſtud inter homines non eſt: niſi tu communionem, ſic accipis vt in iure naturali dicitur, quod non hominum modò eſt ſed & brutorum omnium animalium. vt enim illud non eſt, quia ipſo inter bruta & homines iudicetur, ſed quoniam in ipſum tum homines, tum bruta mouētur: ita & ius religionis in-

Guicc. lib. 8.

Cic. lib. 1. de legi.

Pl. inui. Aemi, Pi. gr. 4. c. 35. Mor. phi.

ter homines ſit, non quòd homines hominibus ea obſtringat, verùm quia omnes erga Deum religionem profitentur. Quid hæſitamus? Patet rem ita eſſe: nam religio ex hominibus non eſt: neq; niſi ad Deos Ethnici retulerũt. Itaque non eſt iuris gentium communio. hæc enim naturali ratione eſt. Et ſi hæc ita ſunt, quî ex religionis diſſidio iura gentium violantur? quî pereunt legationes? Tertia noſtræ definitionis ratio ex probatis ab alijs eſt. Bella religionis cauſſa mouenda non ſunt. Id alij probarunt, & ego pro probato adſumo. Ergo in quocunque religionis diſcrimine manent iura legationum. Nexus argumenti eſt, quia ſi non poteſt ius pacis eo diſſidio tolli; minus poteſt ius legationis, quod, altero ſublato, manet. Atque (ne ſim verboſior) ego ſic cenſeo. Itaque viderint principes, quid agant, dum religionis prætextum in legationum argumentis vſurpant. Nam ex his, quæ pro noſtra opinione induximus, ſcio cadere, quæ in contrarium proponebantur. Et exemplum Cynethenſium non confert eò quidquam: quia hi ſcęleſti in ipſos homines, gentesque. Iam in altera quæſtione exempla etiam habemus. Nam legatum Athenienſium Demadem ab Antipatro interfectum Plutarcus recitat; & ab Alexandro Phæreo malè ſimiliter habitum Pelopidã, libro octauo Polybius ſcripſerat. Inimici hi erant legati regibus, ad quos iuerunt, & conuicia in eos dixere, fecere mala. Polybius verò imprudentiæ incuſat Pelopidam, quòd ad inimicum acceſſerit. Ego etſi imprudenter egerit iſte, & imprudenter illi agant, qui huiuſmodi odioſos homines legant: actum tamen ab Antipatro, & Alexãdro barbarè, iniuſtèq; exiſtimarim. Ac ipſos ſatis coarguit diuerſa in pari caſu in filium Segeſtis deliberatio Germanici: de qua libro primo annalium Tacitus ſcribit. Venuleius etiam I.C. nec legatum prouincialem accuſandum eius, quod ante cõmiſerit, criminis, docet. Scio, in Germanici clementiam referri illud a Tacito: & hoc Venuleij documentum non vni cauillationi expoſitum. Sed in vero quid eſt? Sed huic rationi quis reſpondet? Tutus & cum hoſtibus debet legatus eſſe. Et huic, quæ certè fortis eſt, quis? In publica perſona vlciſci priuatam non debemus. Iniuria, quam priuatus ſuſtinueris, non eſt in magiſtratu exercenda: id enim non boni exempli eſt. Quod Liuius non ſemel dicit. Adrianus imperium nactus quid agit in

In ui Phoc.

L. 12. D. de ac.

L. 39. 42.

eos

eos, quos priuatus habuit inimicos? Dixit illis: *Euaſiſtis.* ſignificans non ſpectare ad Imperatorem iſta. Quid Rex Galliarum? Dux Aurelianus cum eſſet, iniurias quaſdam ſuſtinuit: quas vt rex factus vlciſceretur, reſpondit monentibus: Regem non decet Galliarum inimicitias perſequi Aureliani Ducis. Ratio eiuſcemodi eſt. Publica perſona non vindicat priuato ſibi illata. Ergo neque in publica perſona vindicantur a priuato patrata. Meminiſſe autem debemus, potiorem perſonæ publicæ rationem eſſe: quia hæc eſt dignior: & dignius quòd eſt, id rapere minus dignum ad ſe, certum, notúmque ducitur. Itaque priuatæ perſonæ reſpectus nullus poteſt obtendi in legato hoc puniendo: quoniam publica ſupereminet: & hæc eſt, quæ læditur: nec diſtingui poteſt, ne lædatur. Quo indiuidui caſu alij atque alij prorſus homini indulgentur, nexus beneficio, ea, quæ indiuiduè iuncto debentur ſolùm. Et ſciunt iuriſconſulti, quid dico. Ita mihi ſuaſum eſt, & auſim adfirmare, non malè: quoniam in quæſtione noſtra excellentioris perſonæ adiectio eſt adhuc ex alio, non ex ſe, qui talem perſonam ſuſcipit. ſi id enim eſſet, definitio videri poſſet non ſatis firma. Proſpicio obiectiones: quas qui cogitare valent, ij & quod nos volumus, rectè percipiunt, & reſponſum obiectionibus ſentient. Pro reliquis quid ſim longior? Quod de Verulano Epiſcopo Pontificiorum ad Heluetios legato Guicciardinus ſcribit, diuerſæ ipſe definitionis non facerem: & non iuſtè retentum credo. Iuſtiùs hi criminoſi repelluntur.

L. x. D. quo ſe am: laſ. in l. ſi emancipati. C. de coll.

Lib. 14.

CAP. XII.

De iure liberæ legationis, officioſæ, & temporariæ.

CAVSSAS hactenus proſecuti ſumus, ob quas iura legationum vacillare cenſentur. Sed & de perſonis expoſuimus, quæ nec legatos mittere, nec excipere, quæque ipſę tutò in legationes proficiſci non valent. Reſtat verò, vt de ipſis, ſi quas eſſe credimus, legationibus, videamus, quas Princeps, non cauſſæ vlliúſue perſonæ, reſpectu, ſed ipſas vetare poteſt ad ſe venire. Puto autem liberas legationes, officioſas, temporarias tales eſſe. Nam qui libera lega-

tione abeſſe cupit, is re vera (ipſo nomine contrarium videtur: vnde & hanc legationem definitione concluſimus.) non publicũ commodum cogitat, ſed ſuum. vt Vlpianus, & Alphenus ſcribunt. Atque ratio non eſt, vt liceat principi in alienas ditiones hos homines mittere, exemptos a ciuilibus eorum locorum ſtatutis: cum interim nullo bono hæc res eiſdem locis publicè ſit. Quoniam quoque omnium iſta legatio non videtur; eſtque ſolita vituperari rationibus & multis, & magnis: ipſam in regnum ſuum venientem abſque vlla omnino cauſſa refutare principem poſſe, mihi in animum induco. Non eſſe legationem iuris gentium & inde datur intelligi, quòd Cicero legibus ſuis (ridiculi illi ſunt, qui duodecim tabulis hoc adſcribunt) ſublatam vult: & omnino ſuſtulit Claudius Imperator. Et inde rurſus, quòd iura gentium ex humanis neceſſitatibus eſſe dicuntur: atque in huiuſmodi legatione neceſsitas nulla eſt. Idem verò ſentio de officioſis. nam & quis ad neceſsitatem traducet legatorum admiſſionem, qui officij tantùm gratia veniunt? Nec beneficium, nec ſtudium conferri in inuitum poſſe, naturaliter nouimus: alioquin beneficium iniuria fieret. *Si beneficium* (inquit lib. 9. de leg. Pla.) *minus commodè, & oportunè collatum fuerit, eius auctorem iniuriam intuliſſe dicemus.* Ad temporarias, quarum eandem pono definitionem, factum addo Henrici VII. Angli. hunc enim paſſum nũquam ferunt, iſtos in regno ſuo legatos morari. Et ratio, quæ omnes iſtas conficiat definitiones, illa etiam ſit: quòd, his ſublatis legationibus, gentium nihilo deteriora commercia fiunt.

L. 1. de lega. l. 2. ex qui. ca. ma.

C li. 3 de legi. Dio lib. 58.

CAP. XIII.
De iure admiſſæ legationis.

EXPLICITO tractatu de iure mittendæ legationis, rectà ad ius exceptorum legatorum dicendum pergimus: quo ſcilicet hi in legatione degentes cenſentur. Atq; in principio ſtatim iſtius libri fundamenta eius retexim us, quod in præſentia quærimus, & ſumus per ſpecies multas proſecuturi. Legati ius eſſe retulimus, vt inter hoſtium etiam tela verſetur incolumis. Hinc ſi inter duos principes bellum ſubito exardeſcit

deſcit, legati eorum retinent apud vtrunque ſaretam, tectam liber- *L.15.D. de in-*
tatem omnem ſuam. quod alijs hominibus non contingit. qui ſi *te.l.13.de te-*
ita apud hoſtes principis ſui deprehenduntur, ſerui eorum fiunt. *ſta.l.vlt. de le-* *gatio.*
Legati abire iubentur, ſi eo tempore eos in regno ſuo degere prin- *L 12.D.de capt*
ceps nolit. Exempla profert libro primo, & ſexto Guicciardi-
nus. Nec verò principis partes ſunt tantùm, curare ne a ſe, ſuóue
conſilio legatus lædatur: ſed & ne ab alio quouis iniuriam patia-
tur. Sic ſcilicet rectè Alexander VI. Papa Gallos legatos dimitti *Guicc.lib.1.*
iuſsit, qui ab Aragonenſibus capti hoſtibus fuerant Romæ. &
ſtabat pro Aragonenſibus Papa. & contra verò occurrere omni
ratione rex debet ipſis legatis: ſi legati quid ſecius admittere pa-
rent. Quod præſtitum a Syphace optimè fuit, qui Cartaginenſes
legatos retinuiſſe, inſidias Scipioni, eiuſque comitibus molien- *App.de be.*
tes, narratur. Nec determinationes iſtæ certa ratione carent, ſed *Hiſp.*
eam habent valde magnam, quòd traditum eſt, principis maie- *Bal.in c. 1. de*
ſtatem lædi, legatis, qui apud ipſum ſunt, læſis. Quod inde eſt, *off.deleg.*
quia fidem publicam legati vſurpent, principiſque: adeoque &
publicam, & principis violet fidem, qui violat legatum. *Quod ad* *L.7 D.de vi*
Legatos, Oratores, comitéſue attinet, ſi quis (inquit lex) *eorum* *pub.*
quem pulſaſſe, & ſiue iniuriam feciſſe arguetur, lege Iulia de vi pub-
lica tenetur. & quidem quòd contra ius gentium peccatum eſt, *L.vlt.D.de*
dedi & oportere, & conſueſſe hoſtibus delinquentem, ac domi- *legatio.*
no legatorum violatorum, exploratiſsimi iuris eſt. Qui legatos *Liu.lib.35.38.*
Apolloniatium pulſarunt, Apolloniatibus, qui pulſarunt legatos
Cartaginenſium, his dediti ſunt. deditus quoque a Demetrio is,
qui legatum populi Romani interfecerat. quod ex ſelectis Poly- *Et App.lib.de*
bij ſcimus. Illud tamen verum eſt, quod delinquentis princeps *be. Syri.*
& ipſe pœnam conſtituet, ſi id cupiant legati, qua iniuriæ ſibi il-
latæ vindicentur. Sic enim Saturninum, quòd legatos Mithrida-
tis grauiſsima iniuria affeciſſet, vocatum ab legatis in iudicium *Ex Selec. Dio.*
morti damnauit Senatus. Hoc eſt ius legatorum ſanctiſsimum. *Sic.*
Eſſe autem ius gentiũ, & dictum, & oſtenſum eſt: atq; illud præte-
rea, quod eo vno gentium iure iudicantur legati; ſi ipſi iudicandi
ſunt. ex quo mox conſequitur, delicta in legato quædam non
eſſe, quæ in alijs ſunt iuri etiam ciuili ſubiectis; & non eſſe quæ-
dam rationis eiuſdem. Idem verò & de contractibus, & de qua-

que re alia fiet. Cæterùm contingere quoque poteſt, vt, vno gentium iure cenſeri, minus ſit commodum legato, quàm ſi ciuili etiam cenſeretur. Nec enim puto pro libitu ſuo legatum modò refutare, modò inuocare ius ciuitatis poſſe. Nam hoc eſſet contra iuris gentium rationes, vt in ipſius arbitrio eſſet, ludificare iudicia. Et verò quiret egregiè iſtud legatus efficere, ſi illud ſibi daretur: quoniam multa, quæ vno iure non fierent, altero fieri valerent. itaque ſi ea optio legatis eſſet; hi iam poſſunt quid & factum reddere, & infactum. quæ foret ſumma ludificatio. Sed & exemplis horum omnium adlatis, ea & perſpicua fient, & certiora. Delictum itaque iure ciuili admittit, qui ſibi quidquam in teſtamento adſcripſerit. id non eſt delictum iure gentium: vt nec in legato ſit. Cædem principis cogitare & moliri, horrendum eſt iure ciuili crimen. eſt crimen etiam iure gentium: ſed non paris rationis. quod fuſiùs ſumus examinaturi. Multi actus ſunt, qui iure ciuili plures duobus exigunt teſtes. iure gentium numquam exiguntur plures. Igitur ex ſupradictis, ſi legatus conueniatur ex contractu, in quo duo tantùm teſtes adhibiti ſunt, in quo tamen per ius ciuile plures requirebantur, rectè ſecundùm ſuum ius gentium legatus condemnabitur: quia ex ſimili ipſe poſſet condemnatum facere aduerſarium. An ſumma tibi iniquitas non videretur? Quid? Ergóne in legato erit, firmum, vel infirmum præſtare, quod geſtum eſt? Finge, eodem contractu obligatum legatum alijs, alios ſibi obligaſſe. num ab illis conuentus imperfectum teſtium numerum opponet, iure ciuili, hos ipſe conueniens dicet firmum, iure gentium, inſtrumentum ex teſtibus duobus? Aſt cum exemplis ſatis. nam pleniores diſputationes, quæ ſequentur, meliùs adhuc rem omnem probant. Hîc id vnum addendum eſt, quod ſicut diximus, legatorum violatores dedi ſolitos eſſe, ita & ipſi legati, ſi quid in iura gentium peccaſſent, deduntur: aut etiam puniuntur a ſuis grauiſsimè. Sic ſcilicet legatos Fabios dedendos pronunciauere Fœciales, quoniam, legationem agentes, in Gallos pugnarînt. & mox, cum ab Romaniſmet puniendi forent, morte voluntaria ipſi ſe iudicio ſubtraxerunt. Bona autem dedebantur iſtorum, non ſolùm corpora. Atque iſtam definitionem ſapientis Deæ iudicium

L.xi.D. de fal.

L.1.D.quod qui.iu.

Liu.lib.5.6.
Plut.in Num.
App.in Select.

cium comprobauit, dum Tydeum amore in Thebanos pugnandi flagrantem,ad quos profectus legatus erat,ipſa & compreſſit,& vituperauit.Ergo nec Ageſilaus, nec Clodius, nec eorum alius, de quibus libro proximo dicetur, iure egiſſe videntur, qui vel conſilijs patrati hoſtilia ſunt in eum, ad quem ierant oratores. quæ enim eſt differentia, armis apertè, an dolis nocitum ſit? Sed neque hæc tantùm iura eſſe admiſſæ legationis videntur: verùm & illud eſt, ne, legatione ſtante, hoſtile quidquam admitti poſſit. Sic Pharnacis legatus (quod habet Polybius in ſelectis) apud Eumenem dicebat, abſurdum eſſe, adeſſe ſe, déque pace ſermonem habere, & vnà hoſtilia fieri, ac malis inuicem peti. Sic dimittuntur (vt diximus) legati temporarij, vbi inter illorum principes bellum exoritur. Cæterùm videndum eſt, quomodo excepta legatio ſit. Nam ex eo facto ius iſtud, quod quærimus, innoteſcet. Ecce enim quod temporarij dimittantur, inde eſt, quòd iſti cum in officium magis ſint, bello exorto ſtare nullo modo poſſunt. Si item antequam arma moueantur, legatio, ad componenda fortè diſſidia, intercedat: piè tum arma non mouebuntur. & ita poteſt legatus Pharnacis locutus eſſe. viam enim communiter electam deſerere, niſi communiter ſine nota nequimus, aut ſi de noſtra noua voluntate certiorem non facimus aduerſarium. Immo & in ipſo armorum exercitio conticeſcent tantiſper arma, donec ea legatio maneat, quæ in eundem & miſſa finem, admiſſa erit. Quoniam eo facto quaſi initæ induciæ videantur. Aſt tutum hoc ius non eſt. & malè actū quibuſdam ſcimus, qui ei confiſi ſunt. Quapropter de inducijs expreſſè caueri ſolet: pax etiam ſi ſit inter exercituum duces compoſita; & pro ratihabitione principum legatione proceſſerint. Certè ſi profecta, ſed nondum excepta legatio eſt, quin nullam iniuſtitiæ notam incurrat, qui bellum gerit, non dubito. Exemplum habet Curtius libro nono. Ratio perſpicua facit, quia in poteſtate hoſtis non ſit, tempora bello præſcribere, & præfinire.

Ilia. 5.10

Liu. lib. 32. Xenoph. lib. 1. re. Græ. Liu. lib. 30. &c.

CAP. XIIII.

Si ius legationis contemnitur.

QVOD ſi ius iſtud legationis contemnitur,mala ingẽtia,quibus obruti ſunt cõtemptores, ipſa adhuc oſtẽdunt, quæ huius iuris ſanctio ſiet. Gens eſt vniuerſa Hammonitarum miſerè a Dauide perdita, quoniam ſuos illi legatos violaſſent. Arabes omnes cæſos, captoſúe ab Herode memorat libro decimo quinto Ioſephus. & eadem occaſio fuit. Athenienſes malè habito Darij legato depopulari Atticam totam, & horribiliter deuaſtari fœliciſſimam regionem adſpexerunt. Lacædemones quantum anguſtiarum paſſi iſtã ob cauſſam ſint,ex eo cognoſcitur,quod hominem nobilem ire ad Perſam voluerint,in quo de legato ſuo vindictam rex ſumeret:vt a miſerijs,quibus Spartana ciuitas opprimebatur, tandem liberari valeret. Dicam Corinthum? *Legati* (inquit Cicero) *quòd erant appellati ſuperbiùs , Corinthũ patres noſtri totius Græciæ lumen extinctum eſſe voluerunt* . Rectè autem hîc.libro tertio de officijs rectè minus,vbi,vtilitatis ſpecie peccatum in iſta Corinthi diſturbatione,adſeuerat. Quid enim ſi læſum eſt ius legationis? Dubium an & manu, certè oratione violatos legatos tradit libro ſecũdo Florus. Verùm nõ verbo tantùm ius hoc violatũ Corinthi,ſed grauiùs eſt. Sibilis, cõuicijsq; eiectos de theatro legatos, inquit Polybius:trepidos audito tumultu eripuiſſe ſe neci, ſcribit Dio: ſordidus aſperſos,tradit Strabo:pulſatos,Liuius,& Aſconius narrãt. Quid Phocẽſes,Tarentinos,Adenyſtas,Megarẽſes,ſimiles memorẽ vrbes, & ipſarũ infortunatas in legatos iniurias? Æſchines, Polybius,Dionyſius, Dio,Florus, Appianus cõmemorant, & Pauſania, Plutarcusq;. Alter Romanorũ rex Tatius,quòd vlciſci illatas a ſuis iniurias Lauinienſium legatis neglexit, peſtem vrbi importauit, & ipſe fœdè interfectus eſt. Audiamus quid Coſſus dicat, agat in Tolumnium Veientium regem, a quo legati Romani fuerant interfecti: *Hiccine eſt* (inquit) *ruptor fœderis humani, violatorque gẽtium iuris? iam ego hanc mactatam victimam* (*ſi modò ſancti quidquam eſſe in terris dij volunt*) *legatorum manibus dabo*. occîdit, caput abſcidit,quod ſpiculo gerens terrore hoc cæſi regis hoſtes reliquos

Sen.2.c.x.12.

Herodot.in Polym.

In ora pro.le. Ma.

P.& D.in ſelect.

Liu.lib.51.52.

Diony.lib.2. Plu.in Romu.

Liu.lib.4.

quōs fundit. Quoties ſcelus exprobratum Veientibus? Ij mox cū, legatis Romanis ſic reſponderent, vt ni faceſſerent properè vrbe finibuſque daturos ſe, quod dediſſet Tolumnius; quid niſi excidium vrbi opulentiſſimæ quæſiere? Sed longiſſimum eſſet hæc proſequi. Dicerem de Arioiuiſto, Perſeo, Ariſtodemo, Dionyſio, Cluilio, Domitiano, Antonio, Hieronymo, Hippocrate, Epicide, Mithridate, Britomaro, Gentio, Iuliano, Coſroe, Magnentio, alijs regibus, principibuſque, & Teuca regina. Hæc (ſi Floro magis credimus) legatos Romanos non quidem gladio, ſed vt victimas ſecuri percutere fecit. Quorum omnium impia in legatos facta vel duriſſimis ſunt punita modis, vel ſic diffamata, vt iactura hæc pluris videri reliquo omni valeat detrimento. Longam tragœdiarum, & vituperationum hiſtoriam in propoſito præbent Æqui, Fidenates Antiates, Pomptini, Memaceni, Ligures, Cartaginenſes, Syracuſani, Sybaritæ, Tyrij, Aradij, Britanni, Boiogalli, Senogalli, Venetogalli, Gallogræci, Miſiani, alij violatores, contemptoreſque iuris legationum. et hiſtoriæ traditæ ſunt a Polybio, Liuio, Cæſare, Curtio, Appiano, Plutarco, Dionyſio, Dione, Athæneo, Zoſimo, Procopio, Agathia, Nicephoro, cæteris. O magna Roma. quid enim dum Roma fuiſti, ſimile abs te in infinita illa legationum frequētia factum? & ſi in te factum aliquid eſt, quid tu non emēdaſti? Saturninum morti damnaſti. Fabios dedendos cenſuiſti. Quod ſi neutrum effectui mandatum eſt per gratiam plebis: tamen de Senatus (cuius ea iuriſditio erat) iuſtitia liquet: & cum Fabijs fuit res tota mox emendata nouo iudicio propoſito. quinimmo in Saturnini etiam cauſſa eſt, cur populus Romanus excuſari poſſit. quid enim dedendum hominem iure ſolito potiùs non decreuit Senatus? Qui dedebatur, is certæ morti non dedebatur; ſed ſpes erat liberationis, & quidem magna. en, deditus Romanis is, qui Cn. Octauium legatum per ſummum ſcelus interfecerat, liber eſt a Romanis dimiſſus. et Romani illi adoleſcentes, qui Cartaginenſium legatos iniuria affecerunt, Cartaginenſibus dediti, nec quidquam graue paſſi ſunt, & dimiſſi ſunt. Vt vt tamen eſt de virtute Romana, id certum eſt, quod nos in præſentia tradimus, iure legationis contempto mala contemptoribus maxima ſtare. ecce illa ipſa Roma capta, incenſa eſt, quoniam dediti Fabij non ſunt. omnes enim

App. de be. Syr. Polyb. in Sele. & Dio.

Plut. in Nu. Liu. lib 5.

Lib.28.30. huc factum referunt. De iniurijs in legatos factis audi Satyra ſexta Iuuenalem.

Magnaque debetur violata pœna caduceo.

Audi Ammianum: *Vigilat iuſtitiæ oculus ſempiternus, vltricesque legatorum diræ.* Item: *Legatorũ iniurias ſempiternus vindicat iuſtitiæ vigor.* Et Appianum in Selectis: *Atque ita* (mala recenſuit, quæ Senonibus ob violatos Romanorum legatos obtigerant) *Senones vlta Nemeſis eſt.* Nemeſis, quæ diuinæ iuſtitiæ nuncia a Platone nuncupatur. & bellè hîc nuncia nuntios vindicat. Maxima igitur ſanctio hæc eſt, quæ ſanctum ius iſtud facit.

Lib 4. de legi.

CAP. XV.

De comitibus, & reliquis legatorum acceſſionibus.

LIbere eſt, ſi de comitibus, reliquisque legatorum acceſſionibus ante quàm longiùs, vlteriúsque progredimur, hîc pauca dicimus. Arbitror ſanè & his iura data legationis. Nec enim & cum alijs ita nō agitur. Siquidem vel ſcholarium famulis eadem priuilegia videmus indulta, quæ ipſis ſcholaſticis tribuuntur. Et præſidum comites, proconſulum, procuratorum Cæſaris a muneribus vacare, nō ſecus atque hos magiſtratus, Paulus in lege duodecima ſcribit tituli digeſtorum de vacationibus & excuſationibus munerum. & in lege quadrageſima prima de excuſationibus Hermogenianus, *eorum*, ait, *qui reip. cauſſa abſunt, comites, qui ſunt intra ſtatutum numerum, de tutela, quæ abſentibus, vel profecturis delata eſt, excuſantur.* & in lege trigeſima ſecunda Modeſtinus tituli ſexti libri quarti idẽ ſcribit, abeſſe reip. cauſſa comites legatorum. & Vlpianus (quod retulerimus) de vi publica eos teneri, qui & legatos, & ipſorum comites pulſaſſent, aliaúe iniuria affeciſſent. His adde, quod comitibus legatorum proſpectum æquè ac legatis voluere Athenienſes Lacædemonijq;: vt narrauimus capite tertio. & quod libro primo exſcripſimus, quod his comitibus munera dari conſueuerit, eorumque nomina ita, vt legatorum, ſolita fuerint adnotari. Sed ſuggerit argumentum & Scipionis conſilium, quo legatis ad Syphacem miſſis comites adiunxit

L.2. de com. cōſiſtor. & p. illud pro. Dig. auth. habita. C. ne fi. pro. pa.

Adde quæ ſcribit Macer. in l. 16. de off. præſ.

Plut. Liu. Polyb.

iunxit, qui regis caſtra explorarent. nam videtur omnino exiſtimaſſe, eandem comitibus deberi ſecuritatem, quæ legatis debetur. Accedat & illud: *Rex, faciſne me tu regium nuncium, vaſa, comitéſque meos?* Vnde non comitibus modò ius legatorum ſtare, ſed horum quoque rebus perſpicimus. Quod & verum eſt; & quia libera loca darentur legationibus, magis ac magis innoteſcit. hoc enim facto oſtenditur nihil non ſanctum, non munitum priuilegio debere legatis eſſe. Et ſanè quæ poteſt tanta vis eſſe priuilegij perſonæ legatorum, ſi priuilegium & iſtis acceſſionibus non conceditur? Eleganter itaque doctiſſimus, rerumque ſcientiſſimus Arturus Ateius, cum ego quædam de iure legatotum (ſic Leceſtrio Comite illuſtriſſimo præcipiente) ex tempore in ampliſſimorum, nobiliumque virorum corona diſſeruiſſem, ſe, dixit, in ea eſſe ſententia, ne bona legatorum capi, ne ædes ipſorum intrari, bona ergó pro ære alieno capiendi, poſſint. Verum enim eſt: ſi tamen alia quacunque ratione indemnitati creditorum conſulere manus regia valet. quæ ſcilicet vna hîc magiſtra eſt: quoniam neque actiones, neque executiones iuris gentium ſunt. Aliàs autem (quod & tum temporis referebam) quin hæc fieri nequeant, rationis non eſt. vt exponam. Vna verò me tenet difficultas in iſto tractatu. an omnibus legati comitibus hæc ſtent priuilegia. aut quos comites appellamus. Num omnes famulos, lixas, ſcoparios, ſtabularios? Quæſtio nullam haberet difficilem explicationem, ſi illorum nomina exemplo veterum, actis publicis eſſent inſcripta, numeruſque certus ſtatutus. Sed nunc res expedita non eſt. Comites dici illi videntur, qui adſiſtunt. itaque illam fæcem nomine iſto fortaſſis non diceremus. Tamen contrarium puto. Nam ſi dedimus priuilegia rebus omnibus, quid non & iſtis damus? Africanus mancipia quinque legatus duxit. an ius denegandum legationis fuiſſet iſtis, quòd mancipia erant? Latiùs ergo accipere comitis nomen oportet. Et de comitibus ergo idem, quod de legatis opinor. pro ſua enim (quod dicitur) menſura quiſque accipiet. Ac in illud, quod de legato ſubiecto tradidi, hîc appono & de comitibus exemplum Themiſtoclis laudatiſsimum. Is a rege Perſarum miſſis legatis adſiſtentem interpretem publico decreto comprehenſum iuſsit interemi: quod Græcorum lingua

L.1.D.15 de iniur. & Alc. in l.2.C. de ex. ar

Athen. lib. 6.

Plut.

ad barbarorum nutum & imperium vteretur. Pro certo habeo, interpretem fuiſſe ſubiectum Athenienſium. aliàs enim barbariſſimùs ipſe fuiſſet, & iniuſtus Themiſtocles.

CAP. XVI.
De contractibus Legatorum.

IAM ad contractus legatorum veniamus. In quibus vnum illud ius gentium ſequi nos oportere, pro conſtituto ſit. nam dictæ ſunt rationes ſatis multæ. De omni autem contractu, quem tempore legationis legatus inijt, ſubire eum iudicium volo. Ne, aut legatis (quod inquit Iulianus) poteſtas detur, res alienas domum auferendi: aut (quæ eſt Pauli familiaris ratio) cum hiſdem nemo contrahere velit, & quodammodo commercio eis interdicatur. Et hæc quidem poſterior ratio maximè perſpicua eſt. prior quoque ex eo iure naturæ ducitur, quo æquum eſſe ſcribitur, neminem cum alterius detrimento, & iniuria fieri locupletiorem oportere. Ædium quoque nomine (nam iſtæ temporarijs non præſtantur) legatum damni infecti promittere debere, aut vicinum admittere in poſſeſsionem, Iuriſconſulti ad prouincialem quidē legatum tradunt: ſed explorata ratio facit ius iſtud & maioribus legatis commune. Item ſi dies actionis exitura erit, cauſſa cognita, aduerſus legatum iudicium dabitur: vt lis ſcilicet conteſtetur, aut quid præſtetur ſimile, quare illic, eóque tempore poſtea agatur, vbi, quandóue agi contra eundem valebit: licet cum homine nondum legato contractum ſit. nec enim ſuperueniens publicum officium debet perpetuum alteri damnum afferre. Rurſus, in legatum dabitur actio, ſi id actum eſt, vt legationis tempore ſolueretur. quod Africanus ſcribit. Extra has, eiuſdemque rationis cauſſas legatus de ante geſto non conuenitur. nec ſi in loco legationis contraxerit. nec ſi conſtituerit, quod ante legationem debebat: niſi tamen hoc caſu etiam locum adiecerit legationis, vbi ſoluat. quam inducit concordiam Accurſius inter diſsidentes iuriſconſultos. Item etſi ibi compromiſerit, quo mox in legationē venit: cogendus arbiter non eſt, ſententiam dicere: nec ipſe legatus

L.25.D.de iudi.

L.24.De d.min l.xi.ad Vell.l. 12.de adm. tu.

L.28.D.de iud.

Adde l.16.D. de off præſ.

L.3.D.de lega

L.2.p 5.D.de iudi.

L.8.de iudi.l. 5 de pe.co.

tus exercere litem, quam ante conteſtatus eſt. Sed nec in rem actio *L.24 D.de*
aduerſus legatum datur: quamuis ex præſenti poſſeſsione hæc eſt. *iudi.*
Quarum definitionum illa fuerit ratio, quòd cauſſam, & ori-
ginem negotij placuit præualere. vt ab Hermogeniano traditur. *L 33. de do nat.*
Quæ ratio & me in illam ſententiam duxit, vt Accurſio auſcul-
tarem in compoſitione inita Caium inter & Iulianum. Tandem *l.26.27.de*
verò nec in legatum actio his datur, quibus quid delatum *iudi.*
teſtamento eſt, etiam ſi tempore legationis adeatur a legato
hæreditas, iſque quaſi contractus geratur. fortè quia actui huic,
qui totus voluntarius non eſt, & magis ſuccurrendum eſſe, exiſti-
matur. Porrò ad id venio, quod reſtat. Conuentos minores lega-
tos iure etiam ciuili iudicandos eſſe, narrauimus. Præcedentia,
quæ de iſtis tradita ſunt, nos & ad maiores produximus. Si verò
vno gentium iure cum maioribus agitur: nulla eſt in conſtitutio-
ne iniquitas. Nec enim iſti, dum contrahunt, priuilegio ſuo renũ-
ciare creduntur. nec illis ſuccurrendum eſt, qui fortè incommoda
ſentient, quòd ciuili quoq; lege legatum nequeunt conuenire. ſi-
cut nec ſuccurritur cõtrahentibus cum perſona alia qualibet pri-
uilegiaria. Qui namq; cum alio contrahit vel eſt, vel debet eſſe nõ *L.19.D.de reg.*
ignarus conditionis eius. Poteſt tamen id vt legato, ita etiam ad- *iu.*
uerſario eſſe vtilitati. vt exemplo rem illuſtrauimus capite tertio-
decimo. Vt verò vnum dicam hîc, quod latiſsimè patet: Manus *L.2.in prin.D.*
regia, quæ nuncupatur, ipſa ius faciet in omni legatorum nego- *de orig. iur. Dionyſ.lib.x.*
tio, litéque. etenim manus regia ius gentium eſt.

CAP. XVII.
De iudice Legatorum.

PROSEQVAMVR iniectam definitionem de iudice
legatorum. Si enim in loco legationis hominẽ con-
ueniri poſſe oſtendimus: profectò & hoc dixiſſe vi-
demur, loci iudicem eſſe & iudicem legati. Id igitur
nunc diſertè adfirmo, & talibus confirmo rationibus. Iudicari *L.3.13.D.de*
extraneum quemlibet a loci iudice, vbi ille deliquerit, contraxe- *off.præſ.*
rit, aliquid geſſerit, pro comperto habent iuriſconſulti. nam ſe
ſubijcit iuriſditioni, cui aliàs ſubiectus non eſt. Et in ipſo legato

reſcripſit hoc diuus Marcus, ſcripſere Iulianus, Papinianus, Venuleius, Paulus, conſtanſque omnium prudentum conſenſus eſt. Ac licet de minoribus legatis loquuntur, eadem tamen eſt & de maioribus ratio. nam vt illi ſubijciuntur magiſtratui ciuili, cui ſubiecti non erant: ita iſti maiores magiſtratui iuris gentium (is princeps fuerit) ſubijcientur. Quid? illæ rationes, propter quas obligari legatum in loco legationis, diximus, non vrgent ſatis, vt loci quoque princeps iudex legati conſtituatur? Quantum eſt, vt obligatum legatum fecerimus, niſi ſit, qui de obligatione ius dicere valet? Quantum eſt (ait Pomponius) ius in ciuitate eſſe, niſi ſint magiſtratus, qui iura regere poſſint, per quoſque rerum effecta accipiantur. Et fuit Xenophontis dictum in Oeconomico: itemque Platonis in Epiſtola ſeptima, ac pulcherrimè in libro ſexto de legibus. Sunt non in delictis illæ rationes? At ſi in reliquis tenent: certè tenent & in delictis. Et Petrus Iuſtiniani legatus Theodatum regem Gothorum, apud quem erat, iudicem inſimulatus adulterij non recuſabat, ſed crimen amoliebatur. Legati Lacedæmonij in carcerem Athenis coniecti quaſi tumultum excitaſſent non obtendunt fori præſcriptionem; ſed factum negant: & innocentes reperti dimittuntur. Contra Venetus legatus huius maleficij ſons iudicatus, non multi anni ſunt, Mediolani dicitur capite plexus. Et Mediolani etiam ille Gallicus necatus homicidij conuictus, vt quidam volunt, non quòd moliretur res nouas. Atque facta hæc non iniuſta cenſemus. Addo autem, quod & maioribus iſtis legatis leges, pœnæque eos violantibus ſcriptæ ſunt in iure noſtro ciuili. Itaque ſi legiſlator eſt princeps legato apud ſe degenti: omnino erit & iudex. Vin leges illas recitemus? Indico. Eſt l. 4. de commer. & mercat. l. 2. quæ res expor. non deb. l. 8. de vectigal. & com. In Codice omnes Imperatorũ Honorij, Theodoſij, Marciani, Gratiani, Valetiniani, & Theodoſij ſenioris. Et quod quædã vectigalia legati ſoluere hac poſtrema lege iubẽtur, id nec eſt iniquum, & factum quoq; alibi Ariſtoteles docet. Libertas legationis fieri licentia exlex non debet. Scimúſque & ea legatis interdicta, quæ communiter non ſunt vetita. Cautum memorat in Selectis Dio, ne quis quid mutuaret legatis quibuſdam Cretenſibus, a quibus corruptio timebatur. Cuſtodes eos ſibi appoſitos

L. 2. p. 7. D. de or. iur.

Proc. lib. 1. de be. Got.

Xenoph. lib. 5. re Græ.

Lib. 2. de re. fam.

poſitos(fortè fuit mos propter huiuſmodi cauſſas)Iuſtinianus legatus ait,ſine quibus nec aquam guſtare potuerit. Quid plura memorem? Atque ſi licet principi legem legato ponere, quæ ius non imminuat legationis, quid non etiam liceret pœnam temeratoribus ponere? Quaſi imperfectam legem facere liceat,perfectam nō liceat. Hîc mouit olim quæſtionem mihi eruditiſſimus I.C.Griffinius Floydus, ſi & in re non aperta eandem hanc de iudice ipſe ponerem definitionem.id eſt,cùm in controuerſia eſt, legatus nec ne delictum patrarit, tale aliquid fecerit,propter quod ſupradictæ definitiones eum ſubmittāt iuriſditioni principis, apud quem fungitur legatione.Eandem me omnino ponere, reſpondi. quoniam ita eſt in omni reliqua cauſſa, vbi diſpicitur,ſi quis competens, an non competens iudex ſiet.& in certo hoc caſu,ſi dubitetur,vtrum in ea legatus cauſſa eſt, vt conueniri nec ne poſſit, Vlpianus planè id ipſum & Scæuola decreuerunt.

Proc.lib.1.de be.Go.

Vlp.ſagr.ti.1.

L.2.§.de iudi.
l.5.de legatio.

CAP. XVIII.

Si legatus in principem coniurauerit,apud quem legatus eſt.

INCIDVNT porrò quæſtiones de legatorum criminibus,delictisque; quæ quomodo manu illa regia tractandæ ſint, non ſic certum eſſe videtur, vt præcipuas quaſdam diſputationes non oporteat eo in argumento haberi.Et quidem cum de re longè maiori circa crimina,& pœnas tractetur,quàm circa contractus fiat: probè hic ſpecies aliquas diſcutiemus de legatorum delictis, criminibuſque.Et illa prior erit, quæ & criminis magnitudine omnibus prȩit:Si legatus in principem coniurauerit,apud quem legatus eſt, quid ipſi fieri oporteat.Et ardua profectò, ac difficilis quæſtio eſt. Ego autem de ipſa diſſerui Illuſtriſſimis Comitibus Leceſtrio & Pembruchio,& doctis alijs viris,nobilibuſque. Atq; a recitatione legis quintæ tituli Codicis Ad legem Iuliam maieſtatis, quæ Arcadij & Honorij imperatorum eſt,exorſus dicebam, ea legatū, credere me,non teneri. quoniam iuris huius ciuilis ratio ſit, vt in re tam atroci ipſe affectus & nocendi conſilium pro eo puniri de-

bet, atque ſi mandata effectui fuiſſet. quæ non eſt ratio naturalis; ſed contra naturam perſpicuè: cum factum iudicet, quod factum non eſt. Habet ius gentium rationes naturales, quæ inſitæ omnibus a natura, ſic notæ ſunt, vt argumento nullo indigeant, nulláq;, quibus adprobentur, arte. Ea non eſt ratio huiuſmodi. Sic neque iuris gentium ratio ducitur, quæ habet, vt qui rem tenet, qua aliæ tenentur, & has alias tenere exiſtimetur. Ac multas ſanè poſſem ſimiles recenſere, quæ per ſubtilitatem iuris ciuilis inuentæ non conueniunt cum ſimplicitate, & (vt ita dicam) ruditate iuris gentium: quo vno noſter legatus cenſendus eſt. Atque ideo in præſenti ſpecie Romani legatos Tarquiniorum morte affici non oportere iudicarunt. Ait Liuius: *Quamquam viſi ſunt commiſiſſe, vt hoſtium loco eſſent, ius tamen gentium valuit.* Legimus apud Appianum in libro de bellis Punicis, Syphacis nuncio procuranti necem Maſaniſſæ non aliud mali factum, quàm quod ſceleris reprehēſus eſſet. Dicerem de legatis Allobrogum, quos haud alienos fuiſſe a coniuratione Catilinę & Plutarcus, & Salluſtius docēt: niſi illis, quòd mox emendarint admiſſum facinus, indulſiſſe Romanos, reijcere valeremus. Pręterea prouinciales hi erant. Certo igitur exemplo Tarquiniorum addimus egregiam illam ciuium Romanorum Lampſaci negotia agentium in non alia deliberatione orationem ad Lampſacenos. Hi ob vim a Verre virgini intentatam interficere hominem conabātur. cum ciues illi orantes ab incœpto deſiſti, ſic admonebant, vt grauius apud eos nomen legationis, quàm iniuria legati putaretur. addebantque, ſe ſe intelligere, hominem illum eſſe impurum, ac nefarium: ſed quoniam (hanc ego ſententiā profero nec valde laboro, qualis nam fuerit is legatus) nec perfeciſſet, quod conatus eſſet: neq; futurus (& iſtam induco) eſſet Lampſaci poſtea: leuius eorum peccatum fore, ſi homini ſcelerato pepercíſſent, quàm ſi legato non pepercíſſent. Nunc cum ſecūda ſententia accipe rationem inuictam. Peccatur in ius gentium grauiter, ſi in vi repellenda ſupra quam oportet enitimur. Sed legatum hunc interficiendo, lōgè magis, quàm eſt neceſſe, ſæuitur. abire enim illum princeps iubere poteſt. Igitur non eſt interficiendus. Nec mihi quiſquam dicat, eam iuriſconſultorum definitionē priuatis ſtare hominibus, non regibus. nam ſtat æqualiter omnibus iuris

Ias. in l. 3 D. de adq po.

Lib. 2.

Cic. 4. Catil. App. lib. 2. de be. ci

Cic. ver. 3.

DD. in l. vt vim.

iuris gentium ratio.& quæ ratio eſt priuati hominis ad priuatum ea eſt proculdubio publicæ perſonæ ad perſonam publicam,& legati ad regem:quia legatus quoque principis perſonam gerit. Atque ita nos credimus. Et iuſtiſſimè propterea conquæſtum cenſemus Franciſcum I. ſi dux Mediolanenſis legatum illius non alio prætextu,quàm quod res moliretur nouas, necauit. Sic iuſtiſſimè actum his diebus in Anglia cum legato Hiſpanico, qui in vitam principis,& regnum eius coniuratus dimiſſus eſt. Dimittendum legatum exiſtimamus optimis docti rationibus,exemplíſque. Ac ne omne genus rationis non tactum exiſtimetur, pono & illud, quod Platonem cenſuiſſe,Diogenes in illius vita narrauit. Inquiebat Plato, bonæ opinionis rationem habendam; ideo nec violandas ſuſpicione legationes. Quis verò ſuſpicione violatum legatũ non dicet? Meminerimus eius, quod a Vero ſcriptum Marco fuiſſe Vulcatius refert. *In cauſſis maieſtatis* (dicebat ille) *hæc natura eſt,vt videantur vim pati etiam quibus probatur. Scis enim quid auus tuus dixerit Adrianus: Miſera condicio imperatorum, quibus de affectu tyrannidis niſi occiſis credi non poteſt.* Miſerat hominẽ Annibal Cartaginem,qui pacem Romanam ſollicitaret. ſuſpectus ea de re factus cum eſſet, & capi deberet:dictum eſt, mali rem exempli,de nihilo hoſpites corripi. nec captus eſt.Iam ſi priuato homini,& iuri hoſpitalitatis tantum tribuitur: quid non perſonæ huic publicæ,hoſpitíque maius in genere iſto non dabitur? Et de peregrinis audi rurſus Platonem lib.5.de leg.*Omnia in peregrinos peccata præ illis,quæ aduerſus ciues fiunt vltori Deo magis ſunt curæ. quum enim amicis, cognatiſque orbatus ſit peregrinus maiorem & apud Deos & apud homines miſericordiã meretur.* Sed noſtra de legato non interficiendo opinione(vt arbitror)ſatis confirmata:dicere nunc argumentum placet,quod in contrarium ſuccurrit. Ius hoc gentium,quo vno legatum iudicandum exiſtimamus, vtique par & legatis, & contra legatos eſſe debet. Sed ob iniurias vel leuiſſimas (quod recitauimus) legatis illatas deuentum eſt vſque ad præſtantiſſimarum vrbium euerſionem. Multò igitur magis ob tam inſignem iniuriam interfici legatus poterit. A ſuſcepta opinione non moueor. Argumentum non mouet.Volo & legatum(id argumento irrefragabili probatur)interfici,dediúe ſi etiam leuiſſi-

In Caſſ.

Liu.lib 34.

mam iniuriam intulerit principi: at iniuriam adſumpto actu. Nec enim ob conſilia aduerſus legatum inita vrbes euerſas, aut aliud quid ſimile perpetratum opinor. Sic ſtatuo. Dimitti autem poſſe legatum hunc iudico & ratione iſta. Poteſt ſimpliciter reuocari a principe ſuo legatus. Dimitti igitur poteſt eodem modo ab altero. Magis igitur cùm affectum ſe contumelia inſigni is ſentit: aut ſummam iuris inæqualitatem iniquiſſimè conſtituemus. Ita tum temporis diſſerebam. Et adieci in fine, tertiam in quæſtione iſta eſſe ſententiam, vt legati princeps de admiſſo conſuleretur. De qua nunc verba facere libet, cùm licet.

CAP. XIX.

Si quid legatus deliquerit, princeps illius non eſt conſulendus.

QVAE eius ſententiæ adſertores habeant argumenta, incognitum mihi eſt. Ego adferri vnum atque alterum huiuſmodi poſſe rerer. Dimiſſio eſt nota non leuis, quam aſpergi legato, principique ipſius minimè deceat. Et, ſi ad principem legati ſcribitur, fiet, vt pœna iuſtior de legato ſumatur. nam traditum iri poteſtati offenſi principis legatum a domino, credendum eſt: quia hæc eſſe videtur iuris gentium definitio, vt qui legatum violarit, is dederetur: & contra, dederetur legatus, qui violauerit iura gentium. Sic poſtularunt Galli a Romanis, vt Fabium dederent, qui ius gentium violauit, quòd legatus ad eos miſſus contra eos pugnarit. *Ius* (inquit Liuius)
Lib 5. *poſtulari barbari videbantur.* & Fœciales, Senatu ius agnoſcente, dedendum putauere. vt in vita Numæ Plutarcus tradit. & nos cum alijs id generis pluribus ſupra notauimus. Contra hæc, quæ ſuſpicari potui, argumenta pugna. Prima itaque non vrget ratio. quoniam legato crimen tam grãde admittenti non ſic parcendum eſt, vt velimus etiam de eius exiſtimatione eſſe ſolliciti: quam nec ipſi curæ fuiſſe, iuſtè iudicamus. Suus quoque princeps, qui culpam admiſit minimè leuiſſimam, hominem iſtum mittendo, ægrè ferre non debet, ſi moleſtiam ex facto ſuo ſentit exortam ſibi. Verùm

altero

altero coniuncto argumento, quę etiã ab hac ſententia procedant incommoda videamus. Quam tandem ob cauſſam certior legati princeps reddetur? Vt ipſe inter legatũ iudicet & offenſum principem? At princeps iſte ſubijci alterius iudicio non debet. At periculi res plena eſt, ſubijci ſententiæ eius, cuius perſonam altera tenet pars. At occaſio & quidem iuſta hinc naſci maiorum turbarum poteſt, ſi reſcribat conſultus, ne quid contra legatum ſuum agatur? Quid enim fiet? Agetur? Propiùs nunc læde tur princeps, quàm ſi ipſo inconſulto legatus ſuus dimiſſus foret. An reſpondebimus, lædi ex iniuſtitia ſua, qui noluerit ſontem puniri? Verùm ſi ſæuiturus in legatum princeps erat, quidquid ad conſultationẽ ſuam reſponderetur; quid conſulet? Dicis cauſſa? Vereor, ne etiam maioris contumeliæ cauſſa. dum non eſt ſibi ſatis, præter voluntatem principis eius in legatum animaduertere, quod vult etiam id eo inuito, & reclamante peragere. Quod verò reclamaturus is princeps ſit; ratio facit: nam hominem ſuum, immo ſuam imaginem, a ſe inauditum irato permittere aduerſario principi, nec e dignitate, nec ex officio eſſe, facilè cogitabit. Ipſa præterea in Fabio experientia idem confirmat. Fabius deditus Gallis non eſt. Quod vel in opes, vel in gratiam eius referatur, certum documentum eſt, legatum non dedi. An non poſſumus pro explorato tenere, Catilinam ab ſimili deditione ſubtractum? Quid enim eſſe aliud poteſt hoc Ciceronis: *Te verò, Catilina, conſulatum ſperare aut cogitare non prodigium atque portentum eſt? a quibus enim petis? a Senatoribus, qui te auctoritate ſua ſpoliatum ornamentis omnibus vinctum penè Africanis oratoribus tradiderunt?* *In Orat. con. compet.* Catilina deditus non eſt; quem, veriſimile admodum eſt, iniurioſum in eos oratores fuiſſe, & dignum, qui dederetur. Saturninus deditus non eſt. vt narrauimus Et ſi Romæ hoc factum eſt, quid alibi futurum ſit, vbi ne milleſima virtutis Romanæ pars, plus gratiæ, plus ſordium reperitur, facilis eſt, & certa coniectura. Illud quidem ius eſt: ſed vbi ſeruatum ſit, & quàm benè tum hæc Romana exempla, tum illa omnia docent, quæ dicta ſunt capite decimoquarto. Itaque qui ſapit non ex eo, quod fieri debet, ſed ex eo, quod fit, magis rem æſtimabit. Verùm in noſtra quæſtione, quando nihil in legatum grauius ſtatui poſſe decernimus,

quid expectare iuuat deditionem? Atque ita iſta mihi ſententia non placet. Sed nec quarta quædam probatur: quæ eſt, vt alij conſulantur principes, & iuxta eorum monita huic legato fiat. nam & hæc corruit ex iam dictis. Et in ſumma ſi accedunt rationibus exempla, quibus opinio noſtra comprobetur, quid ad alias imus definitiones? Noluerunt medici Alexandri Magni medicamenta regi exhiberi, vt vt viſa optima eſſent, quoniam experientia non fuerant comprobata. Cedò, quæ præter noſtram ſententia vmquam vſurpata?

Cur. lib. 3.

CAP. XX.

Si legatus Principi maledixerit, & de dicendi libertate.

GRAVEM ſupradictam quæſtionem excipit altera de eo legato, qui contumelioſis, ſuperbíſue ſermonibus agit, exponitque legationem. Nam principi maledicere etſi læſæ maieſtatis crimen non eſt, crimini huic tamen proximum valde, & ex ſe patet, & iuris interpretes volũt, & iuncti in Codice hi duo tituli palam faciunt. Quærimus igitur, quid huic legato fiet, qui principi maledixit. Et quid faciendum alijs ſit, trium Imperatorum hæc eſt ſanctio: *Si quis modeſtiæ neſcius, & pudoris ignarus, improbo, petulantique maledicto nomina noſtra crediderit laceſſenda, ac temulentia turbulentus obtrectator temporum noſtrorum fuerit: eum pœnæ nolumus ſubiugari, neque durum aliquid, nec aſperum volumus ſuſtinere. quoniam ſi id ex leuitate proceſſerit, contemnendum eſt: ſi ex inſania, miſeratione digniſſimum: ſi ab iniuria, remittendum. Vnde integris omnibus hoc ad noſtram ſcientiam referatur, vt ex perſonis hominum dicta penſemus, & vtrum prætermitti, an exequi debeant cenſeamus.* De conuitijs in abſentem principem iactatis Auguſti loquuntur. ceterùm illæ rationes, & ſi maledictum præſenti ſit, etiam obtinent. Quamquam enim hoc atrocius ſit; contumeliaſq; ſibi abſenti dictas non pluris fecerit Ariſtoteles, quàm ſi ipſum itidem abſentem pulſaſſent: verum tamen ſemper eſt, leuitatem contemni oportere, inſaniæ miſereri, iuſto ex accepta iniuria

Tit. 7. 8 lib. 9.

iuria (ſic illa interpretor) dare aliquid, & indulgere dolori. Et hæc igitur, & reliquum, quod in ea conſtitutione ſequitur accipio de his etiam contumelijs, quæ dictæ in præſentem principem ſunt. Huc verò conferunt, quæ Rhodij legati pro alterius legationis cauſſa apud Romanos illis illam ob legationem infenſos dicunt: *Superbiam verborum iracundi oderunt, prudentes irrident, utique ſi inferioris aduerſus ſuperiorem eſt. capitali pœna nemo vmquam dignam iudicauit. etiam Deos aliqui verbis ferocioribus increpant, nec ob id quemquam fulmine ictum audiuimus.* Sic illi. Atque ipſorum concluſionem latè noſtris conſultis probatam Crauetta ſuo quodam reſponſo oſtendit. Ego autem ea omnia non ad alios modò, ſed & ad legatos accipio. Delicta enim impunita eſſe non debere, iura omnia, omniſque ratio volunt. Ob ſuperba & inhumana reſponſa legatis data an non bella? & legatus, qui talis in principem fuerit non punietur? Non ego dicendi libertatem legatis nego: nam Spartanorum, Athenienſium, Teucæ, Iuliani, aliorum exempla probarem, quos in legationes liberæ vocis ſæuijſſe narrauimus, improbauimuſque. Sed contumelioſam linguam compeſci volo. Qui enim iure aliquo abutitur, is eiuſdem iuris patrocinio indignus eſt: & ipſe illo ſe indignum facit: itaq; ſiue princeps iuſſerit, legatum taliter agere; indignus princeps eſt, cui ius gentium in legato adſit: quo ad communionem hominũ reperto ytitur in diſsidium, atque diſcordiam, certè ad eam rem, quæ iuris non eſt. Atque ideo minus rectè legatum Iuſtiniani loqui exiſtimo, dum ait: *Orator qualiacunque a principe ſe delegante acceperit, profert quæ ſi minus proba & rectiora videntur, non ipſe propterea iure eſt incuſandus, ſed qui miſerit fortè culpandus.* Itáne vero? Siue etiam ipſe per ſe legatus quid admiſerit tale: profectò nec debet feciſſe impunè, eadem ratione, alteraque, quòd mandati fines ſupergreſſus, in mandato ſperare non poteſt. Nec verò iniuria principi, qui miſit, hac in parte eſt: qui ſibi imputare debet, quòd iſtiuſmodi homini rem peragendum commiſerit: quem ſcilicet aut nouit, aut (quod eòdem recidit) nouiſſe debet. & ſi fallitur, ad ſe potiùs redundare caſum, ſummæ rationis eſt. Atque ita definitio iſta confirmari valet. Sed quomodo oris libertatem diſtinguimus a contumelijs? Quæ neceſſariò a legatis aguntur, di-

Liu. lib. 45.

Diony. lib. 4.
Liu. 4.

Proc lib. 1. de be. Go.

BIRMINGHAM LAW SOCIETY

cuntur, ea ad contumelias non refero. Iſta ſunt mera mittentis poſtulata, aut cauſſæ, cur is aliquid faciat, fecerit. Sed nec omnia poſtulata admitto, aut cauſſas omnes. Peti nolo, quæ ſunt ipſa petitione iure gentium liquidò iniuſta, & iniurioſa. Ipſa petitione talia ſunt, quæ in ipſa prolatione ſic ſunt: neq;, vt ſic ſint, quidquam extrinſecùs ſolent deſiderare. Cauſas probo neceſſarias, cõmodas, petitioni cohærentes. ceteras non fero. Antonius legatum Cæſaris

Plut. cædi & loris voluit, quòd ipſum eſſet procaciter allocutus. Fingamus, petijſſe legatum, vt ſe Antonius dederet, quòd vir mulieroſus, & perditus indignus eſſet, qui ampliùs dominationis particeps eſſet. Ego iure cæſum iſtum legatum adfirmo. nam quæ ratio? Fingamus, rationem non fuiſſe, ſed ipſam ſimplicẽ denuntiationem: Aio (dixerit) te, Antoni, fatuum, ſceleſtum, infamem. An tali legato parcendum? At quod poſtulatum? Videamus iam aliquot exempla contraria. Alexander Seuerus imperator ſanctiſsi-

Herodia. lib. 6. mus, & ſummis ſemper ſtipatus iuriſconſultis, Parthorũ legatos ingrata a ſe quædam poſtulantes, omni cultu adempto in Phrygiam relegauit. Non probo. Laudo magis, quod cum hiſdem Parthis actum Romæ ſub Nerone, Tacitus lib. 15. narrat. Ait, barbarorum irriſum intellectum, qui Armeniam peterent, quam ereptã tenebant: propterea irritos dimiſſos; at muneratos tamen. Quod enim eſſet legationis inſtitutum, niſi omnia petere liceret, quæ pe-

Polyb. lib. 9. tenda eſſe, ſibi quiſq; ſuadet? Lacedæmones, Athenienſeſq; Xerſis

Herodo. in Polym. legatũ terram regi poſtulantem & aquã deturbarunt in puteum, terrãq; ſuperingeſſerunt, ac rurſus dimiſſo dixere, habere ipſum apud eas ciuitates iuxta condictum terram, aquamq;. Factum infame. Scytha rex iuſtior, qui (vt lib. 4. ſcribit Herodotus) Darij legatum eadem a ſe petentem barbarè haudquaquam tractauit.

Lib. 8. Romani ſanctè, qui Latinorũ legatum loquentem (vt ait Liuius) tanquam victorem Capitolij, non tamquam legatum iure gentiũ

In vi. Phoc. tutum, illæſum ipſi dimittebant. Ingratam Antiochi malignitatẽ dicit Plutarcus, incuſatq;, quòd Xenocratẽ principem legationis Athenienſium liberè loquentem non tulerit. Et verò ita eſt. Quid enim ſi vox, legatoque, libera non eſt, liberum erit? Ab Ema-

Volat. lib. 21. Anthropol. nuele Imperatore Conſtantinopolitano factum contra ius gen-

Fulg. li. 9. c. 6. tium tradunt: quoniam Dandulum legatum Venetorum pau-

lò

lò liberiùs quædam locutum orbauit oculis. Veneti ipſi religioſiſſimi, qui (recenſente libro 7. Guicciardino) regis Galliarum fœcialem denunciantem reip. bellum, iniuſtitiamque, aliaque exprobrantem religioſè dimiſerunt. Verùm & exemplorum, & rationum abundè. Nec tamen multa ad rem non erunt volumine proximo, vbi de legatorum fortitudine agemus.

CAP. XXI.

De ceteris delictis & pœnis legatorum.

QVID verò ſi in alios legatus delinquit? Si in principem quid ſecius admiſerit, diximus, principis arbitrium futurum, quam illi irroget pœnam: nam dedendum iſtum legatum cenſuimus. qui cum in poteſtate ſit læſi principis, haberi ipſum pro dedito, iuris eſt. In deditos verò quid agi debeat, & ſuperiores diſputationes, & nomen ipſius dedititij palam oſtendunt, quod modò poſui. In alios ſi peccauerit legatus: de eius pœna ſtatuere, non facio arbitrarium. Nec enim par ratio eſt, vt dedititius fiat legatus, qui priuatū offendit, quemadmodum fieri omnem dedititium volumus, qui offendit legatum. nam inter publicam, & aliam perſonam latum diſcrimen eſt. Quid ergo non eſt iuris æqualitas, vt talia legatus patiatur in priuatum peccans, qualia peccans in legatum priuatus patitur? Non eſt. nec eſt tamen iniquitas, ſi ius hîc ſtatuamus retaliationis. Atque ipſe quidem ſtatuerem: quoniam dei iuſtitiam Plato dicit. ego iuris naturæ talionem eſſe facilè credo, legis enim Moſaicæ eſt, & duodecim tabularum. quæ iura naturæ ſimplicitatem imitata, non ignoramus. Quinimmo philoſophi Pythagorici ſimpliciter ius eſſe retaliationem definiuerunt: & ab Rhadamanto vſq; iſtā ſententiam deducunt, verſibus expreſſam talibus. *Lib. 9. de legi.*

Si contrapaſſus fuerit, quod fecerit, idem:
Iudicium planè rectum, vindictaque ſiet.

Quod etſi ſit Ariſtoteli refutatum dogma, quia nequeat retaliatio vbique eſſe: in eo tamen, in quo iuri huic locus eſſe poteſt, admitto ipſe. atq; Cicero, Iuſtinianus, alij volunt, & ipſa naturalis ratio do- *Lib. 5. Eth.*

Lib 3. de legi. cet. ius iuſtiſſimum eſſe, ſi in quo peccatur, in eo etiam ſumitur pœna. Illudque a natura omnibus inſculptum eſt, vt quod quiſque ſibi fieri nolit, id ipſe alteri non faciat. cui in pœnam ſuccedit meritò: vt omnes patiantur, ſibíque factum velint, quod in alios ipſi egerunt, factumque eſſe voluerunt. *L. 1. D. quod qui. iu.* Profectò leges noſtræ adſueuerant in huiuſmodi iure & ſummam ineſſe æquitatem, & ſine cuiuſquam indignatione iuſtam. Optima igitur hæc mihi definitio in cauſſa legatorum videtur, quos vno naturali iure iudicandos cognouimus, vt ex talione conueniantur in omnibus, in quibus obtinere talio poteſt. Poteſt autem in omnibus delictis, quæ ſpontè facta ſunt, obtinere, ſi ſunt etiam conſummata. Et ſponte facta, cum philoſophis, appello, quæ nec per vim facta ſunt, nec per inſcitiam: vt ipſi copioſiùs declarant. *Aris. lib. 1. ma. mo. lib. 1. Rh. Xeno. lib. 3. de pæ. Cy. Picol. mo. phi. gr. 2. c. ij.* Sed & quæ facta non ſunt per iracundiæ calorem. vt eleganter eſt a Platone explicatum de legibus libro nono, & notatum aliquid ab Alciato lib. 1. diſp. c. 17. Conſummata autem dixerim vel quæ eò vſque perducta ſunt, quò perduci ab hominibus poſſunt, & ſolent: vel quæ deliquendi finẽ ſtatuere poſſumus, & ſolemus. Puta, delictum conſummatum erit ſi venenum ſit propinatum, etſi mors inſecuta non ſit. factum enim eſt, quantum in hoc facinore conſummando ab homine fieri poteſt, ſoletque. Et illud rurſus nomino conſummatum, ſi, puta, vulnera inflicta ſunt: nam delinquẽdi finem in vulnere ſtatuere multi conſueuerunt. Itaque ſtatuo & ipſe delictum conſummatum: licet, qui nunc vulnerat, non vulnera finem delinquendi eſſe voluerit. Coniuratio, ceteraque ſimilia neutro modo conſummata delicta vocabuntur: quia nec in ea totum, nec finem agendi quisquã conſtituit. Quinimmo nec cenſeo conſummatum delictum, ſi quis arma ſimpliciter cœperit. non inſultum fecerit. non metum incuſſerit. Et eadem ratio eſt. Quod ſi inſultum fecerit; quia hoc tantum plurimi volunt: vt ſit naturali, nõ tantùm ciuili, ratione delictum, & nos delictum dixerimus conſummatum: & pro huiuſmodi in principem admiſſo legatum deditionis pœnam contrahere. Id, quod hîc veluti exceſſus ſubiungitur. itaque morti addici poſſe adfirmamus. quia quod priuato incontinenti permittitur; illud magiſtratui, & principi ex interuallo facere, conceſſum eſt. licet autem priuato interficere eum incontinenti, qui arma contra ſe

mouet;

mouet; & quidem omnimodo, ſi honor id exigit ſuus. Ergo & principi ſic licebit,in legatum animaduertere.rectéque viſus mihi eſt ſentire Heliodorus, qui ſacros etiam legatos morti adiudicat, quòd virginem rapuiſſent, ſi ſcilicet deprehenſi eſſent. nam ſi rapientes licebat interficere:& iam licet,Nunc ad lineas redeo. Pœnam talionis in delictis ſtatuo, quæ ſponte admiſſa ſunt, & ſunt conſummata.Et quidem in perſonis omnibus ſtatuo, contra Ariſtotelis ſententiam:qui cum magiſtratu negat ius retaliationis obtinere poſſe:quoniam percutiens magiſtratus repercutiendus non eſt. Qua in re philoſopho ego reſtiterim. Si enim iure magiſtratus hic percutiat,nullum in percuſſione delictum admittit. vt nec de retaliatione, nec de alia pœna tractandum ſit. at ſi actum legis magiſtratus non agit:quî Ariſtoteles probat, magiſtratũ repercuti nõ oportere?Leges noſtræ eum puniri, & quidem grauiùs vellent: quoniam qui iniuriarum eſt vltor poſitus, ipſe iniuriarum auctor extiterit. Atque hæc mea ſententia eſt de perſonis. Immo nec in eo Ariſtotelem ſequor, quod talionem ab omni remouet, qui non ſponte peccarit. Ego enim ſi damnum datum eſt pecuniarium,quòdue pecunia æſtimetur, illic etiam retaliationem exciperem. quia vbi factum ipſum ſolùm emendandum eſt, par eſt volentis, & nolentis cauſſa:cum idem ſit vtrobique factum. An enim decet me,dixerit damno affectus, propter huius imprudentiam damnó affici, an ipſum? Plato certè eſt huius ſententiæ auctor, qui damna hæc, præter voluntatem illata, nec numero, nec magnitudine per ſe minora alijs cenſet, & diſertè ſic ſtatuit emendanda, vt nos ſtatuimus. Ceterùm nec ipſis nouum eſt legibus, quæ in vſu ſunt,vt qui nolens peccat ſimili pœna teneatur. Et nolentem definio in propoſitò iniungendœ pœnæ argumento eum, qui,ſi ſuus eſſet, non egiſſet, quod egit. Furioſus ſuus non eſt. Infans ſuus non eſt. Coactus ſuus non eſt. Hiſce retaliandum non eſt. Qui in culpa eſt, non tamen in dolo, is a me dicitur inuitus. huic retaliandum, in præſentia ſcribo. Quid nunc vbi perſona, aut cauſſa locum retaliationi obtegit? obtegit perſona, quæ nolens patrauit delictum minimè pecuniarium. Obtegit cauſſa, cum factum ſimili facto puniri nequit. Incuſſus metus, inſultus quî punietur? Scio Gallieni commentum.

Lib.3.

L.13.p.6.D.de iniur.

L.meminerint. C.vn.vi.

In Rh.ad Alex.

Lib.9.de legi.

L.5.D.ad leg. Falci.L.12.de leg.

Treb.in Gall.

ſed hîc tale nihil fieri poteſt in eo, qui ſciat metum ſibi, nõ aliud præterea machinari. Iudicis arbitrio rem hanc totam committerem. eſt enim talis, quæ in ſola æquitate conſiſtit. Itaque nihil (vt ſcripſit aliquando Scæuola) in perpetuum, vel generaliter definiri de ipſa poteſt. Et opinio hîc rectè procedit. nam iuri magis accedimus gentium, quo magiſtratui magis deferimus. Siquidem magiſtratus eo iure (magiſtratus dico principes) & iura & iuſdicentes fuiſſe, nec vna ratio, nec teſtimonio vno conſtat. Et nos in argumento iurisgentium verſamur. De veneno ſi quis me roget, talionem ſanè in ipſo locum habere, opinarer, non minus, quàm in manu, pede, oculo, dente, vulnere, vſtione, liuore, fractura, ſimilibus diſertè voluit Moſes. Quod namque is, cui veneno eſt retaliandum, mori queat: atque adeo plus in pœna ſit, quàm in peccato: id & in Moſaicis omnibus verum eſt. Sed & Sex. Cæcilius talionem ab iſto argumento defendit, Gellij lib. vlt. c. 1. Hæc iam iuris ratio ſi non placet: illam tenere in toto hoc negotio oportet, quam diximus de magiſtratus arbitrio: quamque tenuiſſe Romani videri poſſunt in iudicio contra Bomilcarem Iugurthæ comitem iure hoc gentium ſanctum conſtituto. Ego enim ſic accipio illa Saluſtij: *Fit reus magis ex æquo bonoque, quàm ex iure gentium Bomilcar comes eius, qui Romam fide publica venerat.* vt ſcilicet non expedito eo iure gentium, quo per certum promptumque rigorem res ilico tranſacta fuiſſet, iudicaretur: ſed per longius, leniúſque examen, per actiones plures, per vades ad mitiorem formam res tota inflecteretur. Reſtat verò vt hiſtoriam quandam, quæ totam iſtam tractationem abſoluit, exponam, & finem huic capiti facio. Subtractus eſt legati ope, conſilio obſes. Quid legato pro tali delicto fiet? Romæ is caſus cum eueniſſet, iuſſus (vt in ſelectis habet Polybius) legatus eſt vrbe intra dies quinque excedere. Narrat de altero Liuius libro vigeſimoquinto, qui obſides etiam ſubduxit. Sed quid acciderit, non explicat: vt de obſidibus non taceat: quos reductos virgis in comitio cæſos, ac de ſaxo deiectos, ait. Quid nos iuris eſſe opinamur? Obſidum corpora eodem modo ſacroſancta Dionyſius facit, quo legatorum. Obſides verò necatos videmus pluries. Immo Volſcorum trecentos ſecuri percuſſit conſul Appius, quòd ea gens a fœdere deſciuiſſet

L. 13. D. de di. & temp. præſ.

Exo. 21. Leu. 24.

Lib. 5.

Liu. lib. 2.

Diony. lib. 6.

deſciuiſſet. Atque ſi ipſi obſides digni eo ſupplicio videntur, quid non & legatus videbitur, qui conſilium, opem facinori præbet? Alios ſuadendo iuuiſſe, ſceleris inſtar dixit Saturninus I. C. & *L.16.D.de pœ.* conſultorem pari pœna puniendum cum delinquente, non ſemel traditum eſt. Et ego quidem ita exiſtimo, vt contrahat hoc facto legatus capitale crimen: & pro dedititio fiat. graue enim flagitium in remp. admiſſum negari non poteſt. Exemplum Romanum ſit potiùs ex populi illius moribus, quàm ex ratione iuris. Sic & ob- *Liu.lib.2.* ſidibus pepercisse alios ſcimus vtroque caſu, quo necatos a Roma- *Guicc.2.* nis narrauimus.

CAP. XXII.

De iure Legatorum cum ſuis.

ABSOLVIMVS tractatum iuris legatorum cum externis. Nunc de eodem iure cum ciuibus dicendum eſt. Faciam verò hîc partes duas: vt vna ex legibus Iuſtinianeis compoſita ſit, altera ex moribus populorum conſtet. Quæ nunc ſcribam, ea de minoribus legatis tradit Iuſtinianus. apta tamen pleraque ſunt & maioribus. quod, qui attendet, percipere facilè poteſt. Primùm ergo iure Romano munus ciuile perſonale legationem eſſe, traditum ab Hermogeniano eſt, & eleganter a Chariſio explicatum in titulo Digeſtorum de *L.1.& l.vlt.* muneribus. Atque ideo Marcianus ſcripſit libro duodecimo In- *L 4 p. 3. de legatio.* ſtitutionum, ordine vnumquemque cogi munere legationis de- *L.6.7.8.13.eo.* fungi: niſi ſcilicet iuſta excuſatio ſiet. Quæ non vna eſt. ſed eas *l.12.de vaca.* hîc non exſcribo. Niſi etiam & prohibitus quis eſt, legationem *l.21.de tut. & cu.l. 6. de exc.* obire. quod cum quibuſdam contingit: qui in lege quarta Dige- *D.l.1.3.4.C.de* ſtorum de legationibus notantur. Id recito, quod ex lege decima- *legatio.* ſexta eiuſdem tituli habemus, eundem plures legationes ſuſcipere, non prohiberi, ſi & ſumptus ſuadeat, & itineris compendium: &, quod ex lege quarta eſt, vnius legationis obeundæ gratia mitti plures potuiſſe, qui tamen tribus plures non eſſent. Rationē porrò harum mittendarum legationum præſcripſerunt & Auguſti in vltimis legibus eiuſdem tituli in Codice. Dignum autem relatu eſt, quod is quandoq;, cui iniuncta legatio eſt, poteſt & per alium *L.4.D.de legatio.* mittere legationem. *Legati* (inquit I. C.) *vicarios dare non alios* *L.xi.eo.*

L.xi.eo. *poſſunt, niſi filios ſuos*. Sed & ſi abſenti iniuncta eſt legatio, eamque gratuitam ſuſcepit, poteſt is & per alium legationem mittere. vt alter docuit. Hæc de perſonis legatorum. Qui quàm obſtricti ſint negotijs reip. ſuæ, clarè liquet ex eo, quod interim nec alienis ſe poſſunt, nec proprijs immiſcere. Sunt tamen aliqua de quibus agere non prohibetur: quæ in titulo de legationibus ſignantur, & in lege ſecunda de iudicijs. Ratio autem ipſius definitionis eſt, ne ab officio legationis ſuſcepto legatus auocetur. Quare nec alij poſſunt legato negotium facere. vt dictum eſt. Quare etiam, ſi nulla ſequeretur ex negotio auocatio, interdictũ neutrum eſt. Immo nec leuis auocatio impedit. Hinc ſi ante legationem ſuſceptã mota legato lis in patria ſiet, abſens etiam defendi debet. quod in lite mota vbi legatio agitur contra eſt. in patria enim defendendam cauſſam cognatis, amiciſque mandare diſcedens poteſt: & fideliter, & ſine auocatione legati ea ab his optimè defendi valet. quod non contingit alibi, & legato præſente. Si tamen quid in patria pateretur, propter quod ad auxilium reſtitutionis in integrum veniendum eſſet, competere auxilium legato, definitum eſt. Legato autem (id ſequi videtur) tempus prodeſt, ex quo legatus creatus eſt, non ex quo venit illuc, vbi fungi legationem debet. Sed nec finitur ex eo die, quo eſt reuerſus, at cum quodam laxamento itineris: vt perbellè libro primo Membranarum explicauit Neratius. Reuerſum porrò poſſe pro ſumptibus agere legatum, etſi gratuita legatio fuerit, quos in publicum negotium fecit, iuris eſſe opinor: nam legatiuo tantùm carebit, ſi ſuſcepit legationem gratuitam. quod & dabitur aliàs. Repetet verò etiam damna, quæ cauſſa legationis ſuſtinuit. vt eſt ab iuris interpretibus traditum. quãquam in eo, qui mercenariam obit legationem, contrarium reſpondendum videtur. Eſt tandem & illud legato indultum, vt ſi in munere legationis, antequam ad patriam reuerteretur, deceſſit: ſumptus qui proficiſcenti ſunt dati, non reſtituantur. Contra verò, ſi legationem deſeruerit, alitérue in ea obeunda ceſſauerit, eum etiam puniri, cautum eſt. Quid his adiungere ex interpretum commentarijs cupiam plura? Vereor, ne & hæc, licet ſumpta a fontibus iuris ciuilis, ſordeſcant in ſplendidiori iſta, quam fecimus iuris gentium explicatione.

Marginal notes: L.8.eo. — L.2.x.xi.eo. — L.24.D.de iudi. — L.27.de legatio.l.30.ad S.C Treb. — L.16.de legat. — L.5.8.26.ex qui.ca.ma.D. & l.30 86.de ad.he.l.1.C.ex qui.ca.ma. — L.5.de legatio. — L.4.de vacatio — L.7.quod cu. vn.eo. — L.26.p.6.D. manda. — L.x.de Legatio — L.1.2.D.eo.l. 2.C.eo.

CAP.

CAP. XXIII.
De iure morum erga ſuos legatos.

ALTERAM itaque partem videamus, quæ eſt ex moribus magis, quàm ex iure: ſpectatque ipſos legatos maiores. Demoſthenes in oratione contra Æſchinẽ docet, a legatis rationem repetendam renunciatorũ, ſuaſorum, mandatorum; & in vniuerſum, incorrupténe ea facta ſint omnia. nec enim ferendũ illud hîc, *Pœnas verborum non dari*: quia legatis hæc tantùm tradantur verba, temporaq;. Atq, in propoſito quid Plato etiã voluiſſet, malo ſuis Latinis verbis recẽſere. *Si* (inquit) *legatus, aut præco ea, quæ ſibi fuerint publicè demandata falsò nuntiauerit, vel falſam legationem alio quouis modo obierit, ea tacendo, quæ dicenda illi fuerant, vel aliquid a ſe fictum retulerit, quod minimè extiterit, ſiue aliter in legatione præuaricari compertus fuerit, ſiue apud hoſtes, ſiue apud amicos res acta fuerit: aduersùs hunc agatur, æquè ac eum, qui Mercurij, Iouiſq́ legationes, & mandata impiè & nefariè fuerit tranſgreſſus. cui ſi iudicio ſuccubuerit, penès iudicum arbitrium eſto, ecquonam ſupplicio plectendus ſit pro delicti merito*. Hæc Plato. Sed falſam legationem, hoc eſt, non demandatam capite vindicarũt Athenienſes, & falſò obitam. Et iſta enim falſa legatio (Suida declarante) dicitur, qua aliquid contra atque iniunctum fuit, actum, dictum eſt; aut contra reipublicæ vtilitatem. Fuit & illa Athenis lex, ne legati munera acciperent. & multi morte damnati ſunt, qui acceperunt. Immo ille, qui pacem perhonorificam, probatiſſimamq; Athenienſibus omnibus cum rege Perſa confecit: quòd in legatione munera accepiſſe viſus fuerat, parum abfuit quin & ipſe occideretur. in referendis certè rationibus quinquaginta talenta ab eo exegerunt. Videtur & Romę moribus cautum, ne legati munera, aut pecunias caperent. nam Fabritium a Cenſoribus ſcimus admonitum, iuſſumque reddere rationem, ſi quid in legatione ad Pyrrhum acta accepiſſet muneris, ſordium contraxiſſet. Dux hodie Moſcouitarum (referente in Icone Baſilij Iouio) auferre legatis ad ſe redeuntibus munera omnia ſolet. Veneti ſuis interdicunt pœnis grauiſsimis dignitatẽ accipere ab eo aliquam, apud quem legatione funguntur. Quæ e-

Lib. vlt. de Legi.

Demoſth.

Xenoph. lib. 7. re. Græ.

Dionyſ. in Select.

Iou. in Icone Her. Bar.

Alc.praeſ.18. reg.1. go magis probo, quàm quod ab interpretibus iuris ciuilis contendatur pro muneribus legato adſeruandis. At ad iſtam partem fuſiùs dicam vbi de temperantia legatorum verba facio. Ille quidem Athenienſis, de quo erat modò ſermo, non ideo puniri non debuit, quòd egregiè in pace ineunda ſe geſſerit, ſi & munera aduerſus legem accepit. Nam placet Spartanorum conſilium, qui ob idem etiam factum eundem pœna affecerunt & præmio. Adoleſcens is fuit, qui quòd ſtrenuè aduerſus Thebanos pugnarit, coronatus ab Ephoris eſt: & ſimul quia armis non indutus, (vt ſcribit Plutarcus) vel armis inſolitis (vt Ælianus refert) pugnarit, ætatéque nondum poſtulante: quæ contra leges erant, mille dragmarum multa affecere. Notabile exemplum, ſi quis prȩterea ſciat, qua occaſione pugnatum ſit. Sed & Sylla ſeruum, vt is præmium promiſſi indicij haberet, manumiſit, atque ob ſcelus proditi domini de ſaxo deiecit. Hæc laudo, quæ probata etiam Seuero, Antoninoque Auguſtis cognoſcimus; & rationi, qua bona a malis non quaſi per Satyram, ſed ex ſe ſingula cenſentur iuſtiùs. Ea verò nec eſt prætereunda quæſtio, quam Cicero libro ſecundo de Inuentione notauit: ſi viaticum datum legato non eſt, & is præſtituto propterea tempore in legationem non ierit; an ſit puniendus. Mihi (quidquid Cicero diſputet) videtur pœna nulla dignus, ſi nihil diligentiæ in eo deſiderari poteſt, dum non ſtat per ipſum, qui curauit, qui vrſerit, quominus ſibi proſpectum de legatiuo fuerit. etenim in hoc ſunt rationes exploratiſsimæ. Et de pœnis hactenus. Benè actam legationem remuneratam Athenis non vno modo, cognoſcimus. Sacræ oleæ corona: cœna in curia: laudatio: ſimiles haud dubiè honores probè functis legatione dabantur. Romæ ad ſummos honores aditus inde fuerat. Cui legatio morti erat, ſtatuas, columnas (ſi ferro periјſſent) poſuere, publicam ſepulturam fato abſumptis decernebant: obtinuit tamen Cicero, vt Seruio ſtatua poneretur, etſi is ferro non periјſſet. Atq; iſta ſatis. nec enim hiſtoriam rurſus ingredior: quando illam libro ſuperiore explicaſſe voluimus: & hîc iam abſoluimus tractatum de ipſo iure legationum. Alij & erunt forſitan copioſiores, quibus hæc morum collectio fuerit cordi magis.

In vi. Ageſil. lib.6.

Liu.lib.77. & Plut.

L.1.D. de his qui vt indi.

Liu.lib.3. Phil.9.l.2.D. de or.iu. Plin.li.34.c.6.

ALBE-

ALBERICI GENTILIS
DE LEGATIONIBVS
LIBER TERTIVS.

CAP. I.

Quàm multa in legato conuenire debeant, vt officium ſuum præſtare poſſit.

EX his, quæ hactenus dicta duobus ſuperioribus libris ſunt, ad legati officium explicãdum pergimus. Quod ſcilicet quanti ſit, aut ex eo vno liquet, quod Cyrus inter primos educandum & inſtruendum ſibi hunc duxit, qui fungi iſto munere deberet. Et verò legati munus quale ſit, inde fuerit primò diſpiciendum, quod mores, iuráq; legationum volunt. nam prima officij pars eſt, iura illa, & illos mores ſeruare; velléque vt ſeruent alij ſibi. Ex eo etiam, quod legatus nouerit, qui, qualisque ſit, inſtruetur maximè de reliquo omni officio: quia alia ſit vnius, altera alterius legationis perſona. Iã igitur de officio iſto dicamus. Sed ita, ne oratorem, quo cum nomine conuenit; ne philoſophum ethicum, œconomicum, politicum, militarem, quorũ non paucis inſtructus eſſe præceptis debet, ne denique aulicum, cuius arte expers noſter hic eſſe non poteſt, erudijſſe velle videamur. Ego enim de legato ſcribo. & quemadmodum M. Tullius, qui rerum omnium exactam cognitionem in oratore requirit, earum tamen ne verbum facit: ita ipſe, quæ propria legati ſunt, perſequar, & quantùm in me eſt, explicabo. Hoc mihi, vel ignoranti

Xenoph. lib. 8. de pæd. Cy.

opus illud vniuerſum conficere, vel rectè de ſcribendi ratione iudicanti, conſilium placet. nec alios, qui diuerſum obſeruant, adeoque nec Ariſtotelem ipſum probare queo, qui, ſimilem perſcripturus artem, longè plurima, alterius quæ ſunt artificis ac præceptoris, docet. Etenim reſponderi a Peripateticis nihil animaduerto, quod aut propoſitum Ariſtotelis rectè defendat, aut vnum hoc indigniſſimè non cogatur admittere, vt a libris inſcriptiones ſint remouendæ, ſi alia iſti æquè habent præter id, quod operis titulus tenet. Ergo Quintilianus, Cicero, Ariſtoteles, Xenophon, & Itali illi Caſtelioneus, Caſa, Guatius, ſimilèſque pro illis diſciplinis cōſulātur, qui docēt. Mihi etenim ſatis eſt, dixiſſe, carere earū cognitione legatum non oportere: atque verum hoc eſſe, non vna ratione oſtendere. Cupio autem & exteriora quædam in legato, & fortunæ, & naturæ bona reperiri: ſine quibus appoſitè agere iniunctum munus non poteſt, nec officium ſuum rectè præſtare. Quæ omnia qualia ſint, & quàm multa, ſequentes diſputationes aperient. Certè, quæ ex ſuperfluo (vt cum Polybio de militis perſona differente loquar) ſunt, & inaniter redundant, miſſa omnia faciam. Et nec oportere Nicephoro auſcultari cenſeo, qui in legato rerum omnium, omniumque linguarum cognitionem, & quidem excellentem requirit. Turbida, & ridicula hæc eſt virium noſtrarum elatio: cùm ſi vel in triplum vita prorogetur, ne tum quidem nos rerum plenam poſſe cognitionem apiſci, tanta eſt ipſarum obſcuritas; & naturali intellectu ſentimus, & viri doctiſſimi conteſtantur. Atque illi ijdem tradunt, habitum pro miraculo olim, ſi duarum linguarum quis notitiam tenuiſſet. Quod tamen quale ſit, mox videbimus. Nam hîc, vt verbum de rerum ſcientijs dicam, quid cum omni medicina faciet legatus, quæro. quid cum aſtrologia. quid cum aſtronomia. quid cum phyſica. Veri ne ſint ſenſus: quæ ſit mundi forma: quæ ſit Solis magnitudo: quæſtiones procul & ab ſui oratoris officio remotas ſtatuit libro primo de Inuentione Cicero. quid ſi remotiores innumeras ego proſequerer? Quid noſter cū eiuſcemodi artibus faceret? Politices pars eſt Legatio. vt Plato indicat in maiori Hippia, & in Politico non ſemel ſcribit, Taſſus etiam diſertè ponit, nec non certiſſimum videri vnicuique valet. Quæ igitur illarum diſciplinarum (oſtende, qui

In libris Rhet.

Lib. 9.

Lib. 6.

Gale. lib. 6. de ſim. me. fa. lib. 2. 3. de pulſ.

In Epinom. lib. 7. de legi.

adſeris de cæleſtibus Plato)in legatione vtilitas? Sed(vt diximus) nec poſſibilis eſt comparatio. egregiè enim & verè illic Cicero: *Lib.1.de Inue.* *Quibus in rebus ſumma ingenia philoſophorum plurimo cum labore conſumpta intelligimus, eas ſicut aliquas paruas res oratori attribuere, magna amẽtia eſt.* Sed & mediocriter doctos magnos in republica, *Cic.lib.3.de legi.* multosque viros commemorant, & nos ſcimus, fuiſſe tales, qualis numquam vllus huiuſmodi enciclopedicus extitit. Verùm & alibi diſputatum a nobis eſt pleniùs aduerſùs iſtos, qui orbem *Lib.2.8. pæd.* vbique crepant ſcientiarum. contra quos, mirum, quàm multus, *Cy.lib.4.de fa.* ſæpéque eſt Xenophon, & in hoc maximè noſtro Politices argumento. *So.& in œcon.* His itaque in præſentia omiſſis, ad inſtitutum progrediamur.

CAP. II.

Exteriora quæ in legato volumus conuenire.

QVAE igitur exteriora illa ſunt, quæ in legato volumus conuenire, vt is munere ſuo rectiùs defungatur? Duo eſſe videntur: oportunitas profectionis, & aptus legatorum ornatus. Scitum quippe illud Tyberij eſt ad Ilienſes legatos. Officioſa ea legatio fuit in morte filiorum Imperatoris: at cum ſeriùs, quàm par fuerit, aduenisſet, ſcommate excepta illo eſt: *Et ego*, reſumpſit Tyberius, *caſum doleo veſtrum, Hectorem qui ciuem fortiſſimum amiſeritis.* Hiſtoria apud Suetonium eſt. *Cuiq; ſua tempeſtas eſt.* inquit ſapiens. *Eccl.c.3.* Et tempus Stoici definiebant actionis oportunitatem: qua non ſeruata, mutari & in contrarium officia omnia, oſtendit Cicero. Sic miſſi *Lib 1.de off.* Roma legati ad Antiochum de rebus ſummis acturi pudentiſſimè ſubſtiterunt, luctu ex morte filij ſuperueniente diſtentum regem audientes. vt apud Liuium eſt. Verùm nota hæc pars. Modum, *Lib.35.* ornatúmue congruum ego & ex numero metior legatorum, & ex reliqua circa ipſos pompa. *Ma.li.2.leg.* Narratum enim eſt de Sultano quodam, quod ludibrio exiſtimarit haberi ſe, ſi ſine amplo comitatu, etiam & muneribus legati ipſum adijſſent. Qua tamen in re & quid legatio habeat, & ad quem mittatur, videndum eſt. Nam, vt de numero legatorum ſcribam priùs, putauit & Deme- *Plut.*

trius ille vrbium expugnator, contemptum ſe a Lacedæmonibus eſſe, qui vnicum miſere ad ipſum. Contra etiam in multitudine peccatum eſſe, Tigranes, ſic de Luculli puſillo exercitu loquens
Plut. App. de be. Mithr. oſtendit: *Multi, ſi legati, vt pauci, ſi hoſtes adueniunt*. Atque cum hæc ita ſint, vnum tamen miſſum non infrequentiſſimè, nouimus, & ſine indignatione exceptum. Et e diuerſo, a populis Indiæ quibuſdam, memorat libro nono Curtius, ad Alexandrum centum
lib. 30. venisse. & centum aliquando inducit Virgilius. & quingenti ad
Proco. lib. 2. de be. Pers. Iuſtinianum Perſæ acceſſiſſe traduntur. ſiue hi fuerunt legati omnes, ſiue etiam comites, nihil in propoſito refert. Nam & ſemper ferè vnus eſt, qui agit, dicit: & legationis princeps nominatur. vt reliqui comites & ipſi appellari quodam modo, cenſerique poſſe videantur. Miſerat tam multos rex Coſroes, vt vrbem quandam ingreſſi occuparent. Itaque nec admiſſi ſunt, niſi viginti: & legato conquerenti reſponſum fuit, ex more legatorum cum ſic non aduenire. Sic, legere me alibi memini, tria equitum millia in legationem quandam profecta. Sed a principe non excipiebantur, ad quē ierant, intra mœnia vrbis, multitudinem armatorum (nam & armati proceſſerant) timente. In præſenti argumento definire certi aliquid nequeo. Sed nec valde de ea re laboro, quia non ad legatū, quàm ad legantem ipſa pertinet. Satis autem fuit indicaſſe: & quidem oportuit, quoniam aliquid momēti in hoc legatorum & comitum numero eſt; vt fungi ſuo officio commodiùs legatus queat: ſi enim rectè afficitur ex his princeps, quæ prima in aſpectum incurrunt: aditus legato ad reliqua longè facilior erit. De reliqua verò pompa hoc tantùm, quod & eſt cum ſupradictis commune, ſpectare maximè ad dignitatem vtriuſque principis, cùm res exigit ſcilicet, magno comitatu, magno apparatu inſtructos, & ornatos legatos incedere. nam vnius referunt perſonam, & alteri quaſi pares futuri appropinquant. itaque fieri citra dedecus nequit vtriusque, ſi perſona hæc aliter ſe habuerit, quàm tanti loci maieſtas exigit. Equidem ſi hiſtrionem exſibilaremus, qui regis partes agens, ſordido comitatu, nec ipſe regaliter velatus, in ſcænam prodiret: quid huic fiet legato, qui non breuiſſimi temporis fabulam agit, ſed verè induit principalem perſonam. Laudādi autē hîc mihi eſſent quamplurimi, qui & alias egregiè, & partem iſtam excel-

excellenter executi ſunt: & ſunt mihi cogniti. tamen niſi vnum certi negotij, & temporis vnum, omnium videlicet præſtantiſſimos, non memorabo. Ille illuſtriſſimus eſt *Henricus Standlyus Darbyenſis Comes*, qui proximis his menſibus Galliarum regi inſignia ſummi equitum ordinis a noſtra Regina detulit tanto cum ſplendore, & pompa: vt Gallia propemodum admirata magnificentiam eius legationis dicatur. Alter eſt perilluſtris eques *Amicius Pouletus*, qui annos quattuor apud eundem regem pro regina verſatus in legatione & ad reliquam partem præſtantiſſimè, & ad iſtam ſic eſt, vt prioribus multis, & multis poſterioribus plurimum de hac laude detraxiſſe, præripuiſſéq;, conſtanti hominum fama exiſtimetur. Non id eſt minimum in legato. atque Germani in legationes non alios mittere conſueuerunt, quàm qui virtute, & numero comitatus eminerent. *Tac. de mo. Ge.*

CAP. III.

Naturæ bonis carere legatum non poſſe.

CVM exterioribus illis ſi & naturæ dona in legato cõueniant, quis plurimum acceſſionis fieri neget? Pulcritudinem epiſtola quauis commendatiorem, ferunt ab Ariſtotele dictam: & eundem interrogatum, cur quę pulcra ſunt in amorem ſui allicerent, reſpondiſſe, cæci hominis iſtam eſſe interrogationem. *Diog.* Iſocrates certè ſupra alias res omnes extollit pulcritudinem: & quæ pulcritudine carent, ea omnia contemni adfirmat. *In enco. Hele* Sed ego neque pulcritudinis encomium inſtitui: neq; diſſeruero quam hominis pulcritudinẽ exigã, legatiq;. *Lib. 1. Rh.* nam, vt hac in re mittam Ariſtotelis minutiorem partitionem: primo de officijs Cicero quæſtionẽ ſoluit, qui duas facit ſpecies pulcritudinis, virilem, & muliebrem: atque hanc in venuſtate ponit, illam, quam nos quærimus, in dignitate. Pulcrũ itaque legatum eſſe velim: maximè verò is, qui ad barbaros proficiſcitur. nam refutata in vniuerſum eſt Stoicorum ſententia, cuictumque conſtare hominem animo, corporéque: & hominibus barbaris in corporum maieſtate venerationem ſolùm etiam eſſe, liquet, quòd & Magnus Alexander deſpectus a regina Amazonũ traditur, quia non eam omnino pulcritudinem in maximo illo *Cic. de fi. lib. 4. 5. lib. 1. de leg* *Cur. lib. 6.*

rege,& ſanè pulcherrimo hęc reperiſſet,cuius ingentis rerum ge ſtarum famæ rumore percita ad ipſum venerat. Sic & deſpectus & deriſus Ageſilaus Magnus (quod Plutarcus prodidit) ab Ægyptijs,vir breuioris ſtaturæ. Non id Moſchus anno ſuperiore fecit cum illuſtri equite *Hieronymo Boeſo*, qui ab Regina Angliæ legatus ad eum fuit. vir & maximis quibuſq; legationibus aptiſſimus, & (quod nunc ſcribimus) nobili corporis proceritate,& ea aſpectus præſtantia,quæ ſimul & vigorem,& comitatem (pulcritudo Ariſtoteli in viro commendata) hominis facilè oſtendat, ſic inſignis, vt ipſe vnus in tanta Angliæ pulcherrimorum hominum copia legari præ ceteris illuc meruerit. Alibi apud barbaros ſecundùm hanc ipſam pulcritudinem, alibi ſecundùm proceritatē honores deferri conſuetum,ſcribit etiam Ariſtoteles.& faciem in illa mundi barbarie multum valuiſſe, Lucretius libro quinto canit. Nec verò mirum eſt, ſi id cum barbaris euenit: quoniam qui hominem ex ſolo corpore, vt alij ex ſolo animo voluerunt, conſtare credent, ſi non credunt iſti, qui, vt ſentit Cicero, non re, ſed nomine tantùm homines exiſtunt? Sed quid barbaros in rem pręſentem produco? Stoicus Cato in legatos populi Romani, quorum vnus,ſaxo quondam in caput percuſſus, fœdas cicatrices præferebat, alter pedibus laborabat, iocatus ſic traditur: *Mittit populus Romanus legationem, quæ nec caput, nec pedes habet.* Hæc de pulchritudine.De reliquis corporis bonis quis dubitet,quin idem, immo magis non ſit? Atque hæc ita ſe habent. non tamen vt aliquando diuerſa conſilia non ſint meliora. Sentimus enim quàm valuerit afflictum legati Chalcidenſis corpus in ſenatu Romano: *Chalcidenſium (aiunt) legatio ipſo introitu ob id,quod Miccion princeps eorum pedibus captus, lectica eſt introlatus, vltimæ neceſſitatis exemplo viſa res.*&c.

Lib.4.Polit.

Lib.1,de off.

Plut. Liu.lib. 50. App.de be. Mithr.

Liu.lib.43.

CAP. IIII.

Quod fortunæ bona conuenire in legato debent.

NVNC de fortunæ bonis ſcribendum eſt. Hæc ego in legatis vehementer deſidero: etſi ſciam tantam eſſe quorundam principum ſiue ſtultitiā, ſiue peruicaciam, vt quem omnino mittant, vix cogitent, ſeq; vnos mittentes reſpici debere opinantur. Sed nihil

nihil de principibus dico. agant, legent viliſſimos quoſque, ſiue hos viliùs redimant, ſiue ſint hac in re gratioſi: ipſi ſæpe ſentiunt, quid hoc ſit, faciem, & perſonam ſuam ignobilibus hominibus dare. Auguſtus, legatis eſſe in Orcheſtra locum, vetuit, cum quoſdam etiam libertini generis mitti deprehendiſſet. Accepi, quod Ludouicus XI. Galliarum legato vti ſoleret quodam (o rem fœdam) barbitonſore. & homini ſanè tantum exhibitum honorē, quanto fuerat dignus artifex viliſſimus. tamen adhuc aliorū principum ego patientiam demiror, qui vel excipere hominem potuiſſent, & non ſe contemni exiſtimarunt a Gallo. De legato ipſo dico. Virum ignobilem poſſe nobilis, adeoque principis perſonam præſtare, vix eſt veriſimile. nobilitas enim ipſa eſt ille ſtimulus, quo ad res præclaras vrgemur. & plebeium genus, quin abiectè ſe, & humiliter non gerat, rarum eſt. Et vim verò fortunę bonis connumero, quam ſecum eò affert legatus, quò proficiſcitur, quamque aut a maioribus habet, aut nata eadem ſibi eſt ex reliqua anteacta vita, quóue alio fortunæ beneficio. Ecce, quòd Valerij, Menenij, Horatij gratioſi apud plebem erant, cum hac efficere valuerunt, quod alij non ſunt aſſecuti. *Placuit* (inquit Liuius) *oratorem ad plebem mitti Menenium Agrippam facundum virum, &, quòd inde oriundus erat, plebi carum.* Et libro tertio. *Tum Valerius, Horatiuſque miſſi gaudio ingenti plebis accipiuntur: quippe liberatores, &c.* Quid alios memorem? Sic ad Alexandrum, ad Antipatrum Phocio ab Athenienſibus legatus, quòd regibus vir eſſet acceptiſſimus, conſecutus ea ab illis eſt, quæ alium conſequi impoſſibile fuerat. Idem hiſtrionem (ars hæc non dedecori Græcis) neſcio quem ad Philippum miſere, & notum regi hominem ex arte, & gratum. rem confecit. Antiſtites Chriſtiani a Firmo miſsi tantum valuere apud Theodoſium fauore proprio, quātum neſperandum quidem alijs fuit: vt ex narrante licet conijcere Ammiano. Infinitus ſim, ſi iſtud proſequor argumentum. Ceterùm Sabinarum mulierum nobilem legationem (legatio fuit teſte Dionyſio libro ſecundo) quis reticeret? Inter arma, cædeſque legatione defunctæ illa ſunt egregiè, quam alij nulli mortales potuiſſent. Quis in memoriam non reuocarit aliarum mulierum ad Coriolanum legationem? Hunc non amiciſſimi homines, non

Suet. c. 44.

Ariſt. lib. 2. Rhet.

Lib. 2.

Plut. in Phoc

Aeſchin.

Lib. 29.

Diony. lib.

ipſi Dij, certè non Deorum ſacra, & inſignia frangere potuerunt: mater autem, & legatio muliebris ab ipſo reportauit, quod eſt deſideratum. Magna profectò, magna vis eſt in perſona ipſius legati. Quod in ſecundo Gonzaga diſſeruit Taſſus eleganter: & auctor Rhetoricorum ad Alexandrum hæc confert: *Ipſe quidem nō potis eſt, qui pro vobis legatione fungatur: hic verò, qui Spartiatarum ciuitati amicus eſt, facilimè apud eos, quæ vultis queat efficere* &c. Indicauit verò & hoc ipſum egregiè Annibal Pœnus, Liu. lib. 30. dum Scipionem ſic allocutus traditur: *Veſtri quoque* (vt audio) *patres nonnihil etiam ob hoc, quia parum dignitatis in legatione erat, negauerunt pacem. Annibal peto pacem, &c.* eòdemque ſpectant & illa, quę itidem Liuius ſcribit de Cartaginenſibus legatis, *Quorum ætatibus, dignitatibuſque conſpectis (nam longè primi ciuitatis erant) tum pro ſe quiſq; dicere, verè de pace agi*, &c. & quod de Aſdrubale Hæduo: *Is pacis ſemper auctor, aduerſus factioni Barchinæ eo tum plus illi auctoritatis fuit.* Verùm (vt dixi) longiori oratione iſtud non proſequor. Reliqua, quæ ad legati officium propriè ſpectant, diligentiùs examinemus.

CAP. V.

Præſtantem ingenio legatum eſſe oportere.

ET quod in omnibus hominibus ſolet deſiderari, id in legato ego requiſierim maximè: atque illud ingenium eſt. Ac verò ne de ſingulis bonis, quæ vno ingenij nomine comprehenduntur longam orationem inſtituam: Cic. li. 5. de fin. quantus quæſo poteſt legatus eſſe, qui celeri animi motu non valet? Hæc ſcilicet ingenij dexteritas eſt animi quædam vehementia concitata. vt dixit in Carmide Plato. Corinthij legati ni promptum habuiſſent reſponſum, quod Alexandro aliquando dediſſent, quantum aberant, quin impotens regis ira eos non tractaſſet peſſimè? Ciuem Corinthi factum Alexandrum ei denuntiarunt. indignatus rem minimi rex. at legati, Tibi vni, ſubdiderũt, Sene. lib. 1. de ben. & Herculi iſtud detulimus. Quo dicto ſic placatus eſt Alexander, vt maximè etiam ea ciuitate gauderet, quòd par Herculi viſus, habi-

habituſque fuiſſet. Leo Byzantius Athenas miſſus, vt in componendis, quibus Athenienſes affligebãtur, diſcordijs operam, quam poſſet, nauaret: obeſus autem, & ventricoſus cum eſſet, riſum huic ciuitati ſtatim commouit. Quid Leo? ingenio adeo valuit, vt ab hoc malo potiſſimum & deſumpſerit ſibi dicendi occaſionem, & ad concordiam traducendi Athenienſes. nam ſtatim ita: Quid me perpinguem ridetis viri Athenienſes? Vxor mihi obeſior longè eſt. & vtrumque tamen, quia concordes ſumus, lectulus vel breuis tenet. &c. Demetrio (quod retulimus) excandeſcenti, vnum miſiſſe legatum Lacædemones, quî aliter os legatus obſtruxit, quàm quòd quæritanti reſponderit: Ita, rex, vnum ad vnum miſerunt. Aſdrubal Hędus dum victis Cartaginenſibus pacem in Senatu Ro. petit, rogatuſque, ſi ea daretur, per quos ipſi Deos in leges fœderum iurarent, quæ toties violaſſent: Per eoſdem, dixit, qui tam infeſti ſunt fœdera violantibus. Lege libro trigeſimo Liuium In hac parte excellat legatus neceſſe eſt: quoniam ſunt eius actiones plæræque omnes, quæ tempus ad conſultandum non præbent: quæque niſi per iſtos celeres animi motus rectè expediri non poſſunt: nam hi ſunt, qui momento temporis & conſilia in re ſubita ſuggerunt, & ordinem, ornatumque, quò acutè excogitata proferantur. vt Ariſtoteles, vt Cicero, vt alij docent. Sed quid ego exemplis, rationibuſque rem manifeſtam illuſtrare conor? Quin dicimus potiùs, quomodo vis iſta comparetur? Sed a natura ingenium ſingulis ingenitum eſt. Credo tamen adiuuari ab arte poſſe, & quodammodo etiam comparari. Nam legato non deerit quod argutè & eleganter reſpondeat, dicat, agat, ſi ſolerti iudicio, magnaque diligentia cogitarit priùs, quid ſibi, ſuæque obijci, dici, fieri valeat legationi. parato enim quid vmquam defuit? Illud nec iuuabit iſtos conatus mediocriter, quod & legatorum, & aliorum dicta, facta attentè notauerit, quæ huius argumenti ſunt. Excitamur enim ſimilibus ad ſimilia: & fieri etiam poteſt, vt idem tibi ſit reſpondendum, quod alijs dictum, hæc obſeruando, cognoueris. Sic ſcilicet eadem dicta, factaque in ore non infrequenter legimus plurium, & a pluribus vſurpata. In ſumma qui rerũ, ſiue occaſionum genera tenebit: tenebit autem qui aget, quod dictum eſt:

Plut.

A. lib. 1. poſt. et lib. 1. Rh. C. lib 1. de ora.

is particulares,quæ teneri non poſſunt, occaſiones morarum præcipitandarum nec formidabit,nec ab ipſis ſe ineptè expediet.quoniam in generis notione inerit ſpecierum ſemper, & indiuiduorum ſenſus multus:adeo vt cum ad iſta venerimus, deficere ingenio non valeamus.

CAP. VI.

Legatus vt ſit orator.

NVNC de reliquis, quæ legatum habere volumus, & homini non adueniunt,ſed ipſi a ſe aut maximè quæruntur, diſpiciamus. Oratorijs excultum virtutibus legatum deſideramus,& nomen ipſum oratoris commune deſiderat.Neq; in adſertione adſerenda eſt, cur tantillum trahamus moræ.Id monemus magis,quod is a me nunc legatus effingitur, qui non vni tantùm aptus eſt ſpeciei legationis ſed omnium obire munus rectè poteſt. In bellico enim legato nō admodum requirimus oratoriam vim iſtam, non in alijs multis. An requirimus in illo, quem agere mutam diximus legationem? An in tali,qui conceptis verbis legationem exponit? Qui reddere tantùm litteras habet?Sed & illud in propoſito tenēdum eſt,quod nec vmquam cupimus ſic ab oratoria arte legatum inſtructum,vt arculas rhetorum omnes ei reuolutas velimus. Nec enim hunc virum,quem factis excellentiſſimis deſtinamus,ad verborum,linguæque anxiam illam ſollicitudinem deuocare decet.Nam neque principibus,quorum perſonam legati gerunt, conuenit is dicendi character, quem vbique in lucrubationibus oratorum aſpicimus, ſed ſimplex,ſed nudus a coloribus,figuris,luminibus.breuitas ſermoni conuenit legati, & vt ſit is illuſtris ſentētiarū & rationum pōdere magis,quam elaborata dictione & amplificationū digreſſibus.Etenim quod Demoſtheni accidebat cū Phocione, id, niſi ſupradicta ſequimur documēta, legato noſtro continget. Quæ orator ille maximus longa ſæpe dicebat oratione, Phocio ea, multum ac ſæpe dolente altero, pauculis omnino verbis diſpergebat. Vis dicam,quam orandi rationem in oratore legato cupio? quam non improbaret Tacitus, ſiue is fuit Quintilianus, qui dialogum

Plut.

de

de oratore ſcripſit. quam Cicero alicubi popularem rhetoricam appellat. quam Menelao fuiſſe, Homerus Iliados tertio tradit, non multiloquam, non vagam, ſed breuem, argutamque. ac ego quidẽ breuem appello ex, Ciceronis, qui in propoſito meminit Menelai, ex Ariſtotelis, & aliorum rhetorum documentis, quæ in mediocritate cõſiſtat. Eam ego locutionem legati eſſe velim, quam philoſophorum eſſe Cicero in Oratore ſcribit, caſtam, verecundam, virginem incorruptam quodammodo, & ſermonẽ potiùs, quàm orationem. Nollem oratorem noſtrum oratore Scauro meliorem Catulo filio, Ser. Sulpitio, ſimilibus. ſi in legatione exponenda, & ſententia dicenda grauitas, ſi naturalis quædam auctoritas, ſi prudentia, ſi elegãs quoddam & eruditum genus orationis, & in ſumma tantùm eloquentiæ in legato eſt, vt munus illud tueri facilè poſſit: vltra nihil ab ipſo exigendum, opinor. Hæc mea opinio eſt: immo legati omnium, quos ego quidem nouerim, excellentiſſimi certum iudicium eſt. *Franciſcum VValſingamum* dico. Is aliquãdo mihi in iſtam ſententiam diſſerebat. Sed & legati illi huc concedunt, qui longas orationes miſſas faciendas, vt res paucis tranſigeretur, Beliſarium aliquando monent. Hac iam dicendi ratione noſter agat, oret, lenocinetur. & Taſſus enim lenoni legatum, quemadmodum oratorem quendam coquo in Gorgia diuinus Plato, aſſimulat. & hoc ipſum Plautus alicubi intulit. neſcio verò (nã id ab vltimis ſtudijs pueritiæ memoria repeto) ſi etiam Iuſtinus ſcribit, dum a rege quodam miſſos lenones tradit, atque eoſdem mox legatos appellat. Socrates certè, vno ſe lenocinio confidere vel maximè, apud Xenophontem in Conuiuio conteſtatur. ea eſt ars conciliandi amicitias. ea eſt legati ars maxima. Reſtat nunc vt de his verba faciamus, quæ tenẽda iſta in parte legato particulariter ſunt, dum legationem renunciat. At executus id eſt Ariſtoteles in Rhetoricis ad Alexãdrum. igitur ab opere ipſe ſuperſedebo.

Lib. 2. de fini. *C. in Bru. A.* *lib. 3. Rh.* *Proc. lib. 2. de be. Got.* *In Mil. glor.* *Cap. 29.*

CAP. VII.

Sermonem teneat legatus eius, apud quem agit.

LINGVAE præterea illius, apud quem legatus eſt, notitiã habere noſter orator debet. hoc enim remouet incom-

moda, adfertque commoda multa. Et, vt hinc faciamus initium, ſemper is barbarus eſt, qui loquitur homini, apud quem verba facit, ſi is non intelligit dicentem. Sumus ſurdi omnes (vt ait Cicero) in linguis, quas non intelligimus. Quid verò ſi interpretis copia non eſt? Fieri poteſt, ne ſit. Meminerimus quid cum interprete Themiſtoclem egiſſe, ſcripſimus libro ſuperiore. Caracalla interpretes non ſemel necauit, vt per eos non innoteſceret, quid acti fuiſſet. quod in ſelectis de legationibus ex Dione reſciuimus. Eſto autem, licuerit, liceatque interprete, quem & nanciſcatur legatus, vti: fidere tamen vel probitati vel ingenio eius, hoc quantum eſt? An & ex perſona dicentis interpretis ita ille afficietur, qui audit, vt ſi ex legati ore digniori perciperet? Succedit verò mox & incommodum aliud, quod qualis fuerit reſponſio orationi ſuæ data, omnino ex interprete (vt vt hic probus, prudensq; ſiet, benè reſcire legatus nequit. Mitto quod cum Satyro hiſtrione accidiſſe Demoſtheni, Plutarcus narrat: quæ ſcilicet eadem erant, viſa diuerſa fuiſſe recitante Satyro, atque cum Demoſthenes recitaret. Demus interpretẽ (quod impoſſibile eſt: vel ſi ille interpres Sergius ſit, quem libro quarto Agathias in negotio hoc præſtantiſſimum facit) orantem planè ac is fecit, cuius verba referuntur: illam certè vocis energiam, & latentes illas affectuum ſignificationes inter dicendum aſſurgentes referre interpres nequit. Cedò, quî obſeruabit eas etiam ſignificationes affectuum, alio dicente, legatus, quas in auditoribus omnibus eſſe ſcimus, & is ſolus notare aptè poteſt, qui agit, aut qui ſingula ſentit, quæ aguntur. Quid eſt, quòd prudentes medici libentiùs ipſi vident, alloquuntur ægrotũ quàm ſi, quid quid in re eſt, referatur eis ab alijs? Nempe quia multa ſunt, quæ percipi niſi noſtris oculis nequeunt. Et eſt ſimile, quod de teſtimonijs ad iudices quoſdam Adrianus imperator reſcripſit Id tamen non refero. At hæc quoque fieri poſſe concedamus: quæſo quæ certitudo manet legato, ſi ex interpretis iudicio (iudicat enim hoc loco iſte, qui quod ſenſum excedit refert) totus pendeat? Verùm & quem ſtatueremus illum oratorem, qui per interpretem diceret? quem legatum ſtatuimus, ſi is eſt orator? igitur ob hęc vitanda incommoda, definimus, legatum indigere interprete non debere; atq; ideo cognitum ipſi ſermonem eſſe oportere, quo is vtitur

lib. 5. Tuſcul.

Cap. 15.

L. 3. D. de teſti.

Bal. in l. 20. p. vlt. de teſta.

ritur, quem alloquitur. Probo Tiſſaphernem Perſam, qui legatum miſit Spartam linguæ Spartanæ gnarum. Perſeum probo, qui hominem legauit ad Gentium regem Illyriorum ſermonem callentem Illyricum. Non dubito, quin Romanorum pleræque omnes legationes ab tali non fuerint linguà inſtructæ, qualis ipſis citra omnem interpretis opem ſatis ad munus obeundum fuiſſet. Etruſcum enim ſermonem, mox Græcum pleriq; omnes, qui ad rempublicam capeſſendam nutriebantur, diſcebant. Sermo autem Græcus quà non patebat? Cartagine erat benè notus, ſi verum eſt, quod interdixerint illis Romani, ne vterentur. Quis neſcit de omni ferè cis Eufratem Aſia? Quid Saguntum, Emporium, alios in Hiſpania locos, & Maſſiliam in Gallia memorem Græcas vrbes? quid rationes conquiram, quibus, non quidem communiter notam (id enim Cæſari refragaretur) linguam Græcam & in iſtis Europæ partibus oſtenderem, ſed incognitam non fuiſſe? Scripſi aliquid ex Cicerone ad rem alibi. Quid quod legatos vſos interpretibus in tota Liuij hiſtoria, aut fallor, non legimus? Scio tamen & alios, & legatos interpretibus aliquando vſos. Verùm quid quid facti ſit, ego docui ſatis, ſic fieri oportere, vt dixi. Et nunc quidem ſi legatus linguam Latinam teneret, benè proſpectum ei opinor: quoniam longè hæc eſt hodie in vniuerſa Europa notior, quàm fuerit Græca. Si tamen & eas cognoſceret, quæ nunc viuunt, vbi futurus legatus eſt, magis atque magis probarem. nam, vt alia omittam, afficere, quemadmodum volet, poterit legatus regem ſanè certiùs, ſi huius ipſum patrio ſermone alloquitur. Quis iſto magis non afficitur, qui congenitus noſtris ſenſibus eſt? Iterum de interprete. An cum interprete hæc conſequemur? Scilicet idem planè eſt interpres & legatus; atque quod hic dicendo nunc vnum, nunc affectum alterum in principe audiente mouendum, promouendum cenſeret, idem facturus interpres ſiet. At immutanda oratio non infrequēter venit ex his, quæ dicendo, fieri animaduertimus. quod probè Rhetores omnes admonēt. nec verò iſtud facere per ſe interpres, aut illum, vt faciat, ſurdus noſter iubere poteſt, qui ſentit eorum nihil, quæ fiunt. Mittamus interpretem, qui ſapienti legato num-

Thucid. lib.8.

Polyb. in ſelect.

Liu.lib.2.9.

Diony.4.

Lib.4.lect.c.3.

Cic. in ep. ad Therm. & in ora. pro Bal. & l.5. de Capt.

Sall. de be. Iu.

quam adfuerit. Diſcat & viuentes aliquas legatus linguas, vel nobiliores, vel quæ vſui ſibi ex cõmercijs gentium, vicinitate, opportunitate, alia occaſione eſſe queunt. Onus non impono homini omnium addiſcendarum linguarũ. quod Nicephorus facit. nullæ enim humanæ vires id ferent. ſiquidem linguæ innumerabiles ſunt, vt ſcribit Cicero; tantum abeſt, vt diſci etiam poſſint. & vir optimus Manutius, totam ætatem vel vni addiſcendæ linguæ Latinæ conſumere homines, non vno in loco conqueſtus eſt. Illéque in hoc forſitan poëtam agit, qui vſque etiam ad eloquentiam cognitas cuidam canit linguas Hebraicam, Græcam, Latinam, Hiſpanicam, Germanicam, Gallicam, Italicam, Æthiopicam, Arabicam, Syriacam, Perſicam, Anglicam, Chaldaicam. Mithridatem, quem duarum & viginti gentium, quas ſub ditione habuit, linguas calluiſſe ſcribunt, ſcio linguas tam multas non calluiſſe: nec enim tam patebat in immenſum eius imperium; vt liquet ex Appiano optimè. Fuerint itaque non linguæ, ſed idiotiſmi plerique omnes. Idem de Cleopatra reſponderim: de qua ſcilicet magna etiam notata in propoſito ſunt. Meminerimus verò riſum ducis Romani, qui Dacas, Medos, Elimæos, Caduſios, alia nomina vix fando audita Antiochi legato accenſente pro rege ſtare: *Atqui*, inquijt, *hi omnes Syri ſunt.* elegans eſt apud Liuium libro vigeſimo quarto hiſtoria. Tres igitur cum Ennio, qui & tricor propterea dictus eſt, linguas teneat legatus noſter, &, ſi poteſt, vnam adhuc & alteram. Nec enim admodum difficile iudico mandatum præſens hominibus, qui rerum ſcientias minutiſſimè perſequi non coguntur; & abundant affatim otio, reliquiſque commoditatibus, quibus iſta comparari ſolent. Themiſtocles anni ſpatio Perſicam didicit. Sit & Themiſtocles teſtimonium in definitionem noſtram. nam didicit Perſicè loqui cum Perſis futurus, acturus. Et quoniam multa hîc diximus, caput cum Demoſthenis facto concludo. Is Græciam legatus peragrans colloquendo, & inſtigando omnes ferè populos, & Thebanos ad bellum reſides in Philippum armauit. Num tanta per interpretẽ effeciſſet? Cum interprete principium & finis.

Lib. 5. Tuſc. — *Gell. li. 17. c. 17* — *Plut. in Anto.* — *Thucid. lib. 1.* — *Plut.*

CAP.

CAP. VIII.

Magna in legato hiſtoriarum cognitio requiritur.

HISTORIARVM præterea cognitionem legato noſtro commendauimus. Nam vt infinitas hiſtoriæ laudes prætermittam: hoc certè ex earum cognitione legatus aſſequetur, quod quaſi innumeras obierit ipſe legationes, dum tot legatorum facta, dicta, euenta perlegerit, eruditus euadet facilè atque peritus normam componendi actionum ſuarum. Neque enim aliud eſt noſtra prudentia, quàm euentorum obſeruatio, rerumque præſentium ac futurarum ex præteritis tamquam ex fonte ſcientia deriuata. Et hoc *Ariſt. c. ij. Rh. ad Alex.* ipſum illud eſt, quod apud Procopium libro tertio de be. Goth. legati Longobardorum dicunt, & paſſim viri prudentes adfirmare *Machia. lib. 3. Obſeru. in Liu. c. 43.* conſueuerunt, eum, qui de futuris velit diſpicere, præterita intueri debere. *Nam quæ* (inquit libro ſecundo Rhetoricorum Ariſtoteles) *futura ſunt, plerumque paria, ſimiliaque ſunt ijs, quæ iam facta ſunt.* & libro primo: *ex præteritis futura conijcientes iudicamus.* Quoniam ſcilicet res mortales omnes, omniumque temporum ſumma nexæ ſimilitudine ſunt. etenim, qui omnia faciunt, homines ijdem ſunt, naturam eandem, eoſdemque affectus perpetuò retinentes. quare, effecta eadem exiſtere, neceſſe ſit. Sed & rerum obſeruatione patet, verum eſſe, quod dico. quantam enim videmus morum in ſingulis populis viciſſitudinem? Sanè aut nullam, aut leuiſſimam. Eſt hoc cœli, terræque opus, vt hæ huius, illæ illius gentis ſint rationes. quod Hippocrates docuit, & alij *In lib. de ae. aq. & lo.* plures exſcribunt, atque in perſona Manlij Conſulis Liuius libro trigeſimo octauo elegantiſſimè tractat; & ex ſe libro quinto dicit, dum de Rhætis loquitur: ac rurſus libro quadrageſimo quinto de alijs. alibi etiam, licet a ſe diuerſus, tamen & illud in noſtrā *Lib. 37.* ſententiam, habet, quod nec terra mutata genus, aut mores mutat; & quod natura inſita velut ingenio terræ vinci nequit. Hæc eadem de vi terræ, ac cœli Herodotus, Plato, Polybius, Cicero, Plutarcus, Curtius, alij (vt dixi) notata reliquerunt. Si itaque idē cœlum, eadem perpetuò manet terra: eædem & perpetuò ratio-

nes populorum manebunt. Sció, educationi, conſuetudiniq; deferri plurimum. Sed non vt rerum natura inuertatur: nam quod natura inſitum eſt velut ingenio terræ vinci nequit. Quamquam iſta quid diutiùs proſequor? Hiſtoriarũ peritus & prætenta ſciet, & cognoſcet præſentia. Volo namque legatum, cùm antiquis dediſſe hiſtorijs operam, tum etiam recentioribus. Quarę ad eas, licet certiſſimas, coniecturas ipſi recurrendũ non fuerit; qui hodierna nequaquam ex anteactis, ſed ipſa per ſeſe nota probè, & explorata habebit. Quid? Potuit Lucullus, cum eſſet Roma profectus rei militaris rudis in Aſiam factus Imperator veniſſe, opera ſimili, ſed paucorum dierum adiutus, qua exiſtere aliquem legatum poſſe, nos adfirmamus: & id ipſum non fiet? Age: negari illud nõ poteſt, inſtructum ab hiſtorijs euaſurum in legatum optimum trihorio longè facilius, quàm, deſtitutus ſi ſit ab iſto auxilio, annis multis, multiſque faceret. Ecce autem me ipſum do in quale quale exemplum, qui ex perfunctoria, breuiſſimique temporis lectione hiſtoriarum hæc potui (credo inutilia penitus non fore) obſeruata, præcepta explicare. Quid ergo faciet is, qui in hanc vnã curam intendet? qui propterea diligentiùs, qui plures hiſtorias euoluet? eum profectò futurum legatum ſummum, & antequam attingat vllam legationem, opinor. Nec enim nauta ex commentarijs (vt dicere ſolebat Galenus) hic noſter erit: aut deſipere credetur, prout & deſipere & delirare Phormionem philoſophum dixit Annibal, quòd de re militari, cum numquam in militia fuiſſet, ſe coram milite, & imperatore præſtantiſſimo auſus eſſet diſputare. Nam iſte legatus, non ex fallacibus hominum ſiue coniecturis, ſiue rationibus huc accedet, ſed doctus ab certiſſimis rerum experimentis prouinciã ſibi demandatam ingredietur, animo iam perluſtratam ſuo, totamque cogitationibus ſuis exploratam, immo etiam oculis ſubiectam, & pedibus ferè permeatã. Poſitus enim eſt quaſi in ſpecula, & ſummo quodam monte is, qui cum hiſtorijs eſt: vnde ſubiectos campos, valleſque, & quoſcumque, qui loca hæc inferiora perãbulent, horũq; greſſus omnes facilè deſpicit. Ergo cum deſcenderit ipſe, inq; aliquod ſe dederit iter; commoda, & incommoda loca, & rectas, & obliquas vias præclarè noſcet, & in itinere inſtituto, ſuſceptoq; cum fructu ac laude verſabit. Habet profectò hoc

H lib. vlt. Pla. lib. 5. de legi. Po. lib. 6. Ci. de le. agr. Plu. in Pomp. Cu. li. 8.

Cic. in Lucu.

Cic. lib. 2. de Orat.

hoc præter alias ſcientias hiſtoria, vt ex ea & theoricam, & practicam ſimul aſſequamur. Atque cum hæc ita ſint rationibus comprobata, quid Alexandrum ab rerum geſtarum Achillis, quid maiorem Africanum ab Cyri facinorum nobiliſſimorum ſiue hiſtoria, ſiue fabula eruditos commemorem? Maximè vtilitatis hiſtoria legato eſt.

CAP. IX.

Quatenus philoſophia legatum deceat.

SED ad hiſtoriarum cognitionem accedere & illam philoſophiæ partem, neceſſe eſt, quæ de moribus tractat, & ciuitate. Nam iſta quaſi anima eſt hiſtoriarum: vt quæ omnium cauſſas cõtineat, explicétque dictorum, factorum, euentuum: atque ideo hiſtoriæ notitiam non nudam, inanemque eſſe ſinat, ſed in certos, vtileſque rerum vſus perducat. Nec verò in negotio iſto verebor omnium præſtantiſſimum dicere, & ad imitandum proponere Machiauellum, eiuſque planè aureas in Liuium Obſeruationes. Quod namque hominem indoctiſſimum eſſe volunt, & ſcæleſtiſſimum; id nihil ad me, qui prudentiam eius ſingularem laudo, nec impietatem, aut improbitatem, ſi qua eſt, tueor. Quamquam ſi librum editum aduerſùs illum conſidero. ſi Machiauelli condicionem reſpicio. ſi propoſitum ſcribendi ſuum rectè cenſeo. ſi etiam meliori interpretatione volo dicta ipſius adiuuare. non equidem video, cur & ijs criminibus, mortui hominis fama liberari nõ poſſit. Qui in illum ſcripſit, illum nec intellexit, nec non in multis calumniatus eſt: Et talis omnino eſt, qualis qui miſeratione digniſſimus ſit. Machiauellus Democratiæ laudator, & aſſertor acerrimus: natus, educatus, honoratus in eo reip. ſtatu: tyrannidis ſummè inimicus. Itaque tyranno non fauet: ſui propoſiti non eſt, tyrannum inſtruere, ſed arcanis eius palam factis ipſum miſeris populis nudum & conſpicuum exhibere. An enim tales, quales ipſe deſcribit principes, fuiſſe plurimos ignoramus? Eccur iſtiuſmodi principibus moleſtum eſt, viuere hominis opera, & in luce haberi? Hoc

fuit viri omnium prudentiſſimi conſilium, vt ſub ſpecie principalis eruditionis populos erudiret: & eam ſpeciem prætexuit, vt ſpes eſſet, cur ferretur ab his, qui rerum gubernacula tenent, quaſi ipſorum educator, ac pædagogus. Ceterùm hæc diſceptatio vlteriùs haud ducitur. Si fauere ſcriptoribus volumus, multa & in hoc vitia emendabimus: aut illa ſaltem feremus in eo, quæ in Platone ferimus, & Ariſtotele, alijſque, qui non diſſimilia commiſere peccata. Feremus autem, quia meliora deterioribus longè plurima & is habet. Hoc habet, quod in pręſentia quęrimus, vt in lectione hiſtoriarum non grammatizet, ſed philoſophetur. Eget profectò altera alterius ſcientiæ cognitione. Nam abſque hiſtoria philoſophus talis mihi eſſe videtur, qualis qui rectam quidem ingreditur viam, ſed quòd in tenebris ambulet, certò cognoſcere nequit, vbi ſit: nec ea bona colligere poteſt, quæ Sole exorto ſolùm apparent. Hiſtoricus contra ambulat ipſe quidem in luce & ſplendore rerũ geſtarum: at quoniam eundi viam non ideo tenet, quòd proſpectus ſibi vndique patet; temerè incedere, caſuque eum oportet. Si enim in re aliqua peragenda is velit cum ſuis, quæ multa obſeruauerit, exemplis progredi, cedò quæ ſequetur? Non proferet exemplum, cui exemplum contrarium deſit. vt vel ex his, quæ ſuperiore libro tractata a nobis ſunt, cognoſci facilè licet. Philoſophia ergo eſt, quæ de exemplis iudicabit. & iuris ſcientia (philoſophiæ pars) fuit, quæ de iure legatorum dum diſputaretur, exempla ſubtili trutina æſtimauit. æſtimabimus, ſi quid in nobis huius virtutis plus erit, & in reliqua omni diſceptatione. quoniam & Socrates dicebat, turpes abſque ſcientia opiniones eſſe: & id eſſe ſi aliena quidem facta, ſententiaſque producere, quid autem nos ſentiamus, & rectum exiſtimemus, fari minimè valeamus. Philoſophia id faciet, vt poſſimus. Philoſophiæ iunctam hiſtoriam cum encomio illo admitto, vt haud ſecùs quàm domina, nec nutabunda, nec adulatrix iubeat, planéque conſtituat, quibus nam adhærere, quæ fugere nos oporteat. Non fero aliàs. Philoſophũ legatum ſine multa hiſtoriarum cognitione non fero. puer enim hic a Cicerone diceretur. Nuda, tenuiaque eiuſdem bona appellaret Plato. Docent periti, & ipſos politicos homines philoſophiæ paulò familiariores factos, ad reip. gubernationem inutiles prorſus euadere, omnique

P. lib. 8. de rep

A. lib. 5. Polit.

Pla. lib. 5. de rep.

Agath. lib. 1.

In orato.

In Phædro.

niquę

nique intellectu deſtitui,& communi etiam ſenſu carere, reliquis certè ineptiores ad res gerẽdas,experientia ipſa quotidiana comprobari. Nec his ſanè, quæ in Socratem in re præſenti aliquando *Pla.in Gorg. & in Theæte.* Callicles dicit,aut his,quæ ipſemet dicit Socrates,video ego,quomodo reſponſum ſit. Sit enim vel in vulgo vitium, quod vti philoſopho nolit,vel in eorum imbecillitate ingeniorum,qui philo- *Pla.lib.6.de rep.& in Hip. ma.* ſophiæ dediti pares etiam publicis rebus eſſe non poſſint; ſit in re alia:nos perſpicimus ſatis, purum putum philoſophum ineptum curis huiuſmodi eſſe.Ridiculi igitur illi ſunt,qui Alexandri,ſimiliumque exemplo omnem philoſophiam viro in rep.verſanti diſcendam,penitúsque demandant.Et neſciunt vani homines,Lunæ ecclypſim regi ignotam,fluxum, & refluxum Oceani prorſus in- *Cur.lib.4.9.* auditum,aliasque haud dubiè ſimiles rerum hiſtorias.nec enim de cauſſis,etiamnum philoſophos ſummos latentibus,iuuenem coarguerim.quod & me contra facerem:qui nihil iſtorum in viro politico exigi velim. Aliud in Imperatore requiri,ait Pollio, cùm inter litteratos emicuiſſe Gallienum narraſſet. atque idem oratione Marij veriſſima apud Salluſtiũ, & alterius apud Liuium libro nono(ne plura appellem teſtimonia)liquidò confirmatur. Nominem præſtantiſſimos viros vel vlla abſque litterarum cognitione? Carolus V.noſtra ætate, Conſaluus Magnus, Sfortia Mediolane- *Iou.in vi.Adr. 6.in lib.3.vi. illus.in vi. Sfo.c.81.* ſis, innumeri & bellicis, & politicis artibus clariſſimi viri extitere tales.Sfortia,quòd nec ſcribere ſciebat,ſe,dicere conſueuit,qua manu enſem tractare didicerat, eadem calami ductiones diſcere non potuiſſe. Et politicus noſter eleganter adfirmet,licet,ſe ſtudia rerũ publicarum ſectatum, vacare alijs cogitationibus, & contemplationibus nequijſſe.Eſt verò eadem & de legatis ratio, quæ de politicis illis, principibuſque eſt:nam & politicus eſt legatus,& principis etiam perſonam tenet.

CAP. X.
De litteratis legatis.

IVVAT in præſenti argumento paulùm adhuc immorari.Quid tu,dicent, huc viros benè litteratos venire non ſinis, ſi litteratiſſimi admodum multi munus legationis peregerunt ?Accipe ex omni ferè ge-

nere philoſophantium. Theologi legatione funguntur. Auguſtinus, Chryſoſtomus, Grægorius, alij, vt ipſimet, & eccleſiaſticæ hiſtorię narrant. Philoſophi, quos communi nomine appellamus, legationes geſſere ex cunctis pænè ſectis. Archelaus, Critolaus, Menedemus, Xenocrates, Arceſilaus, Theodorus, Crates, Ariſtoteles, Carneades, Diogenes: & hi vltimi duo, Ciceronis teſtimonio, e ſcholis excitati, cùm nullam vmquam reip. partem attigiſſent. Quid plures memorem? Rhetores, Sophiſtas, Grammaticos, Medicos, Iuriſconſultos vocem? Nullum litteratorum genus fuit, quod iſthæc munera non attigerit. Teſtimonia autem auctorum ſingillatim proferre, moleſtum. Ita dicent, opinor, qui aduerſarij eſſe volent ſententiæ, quam nos inducimus. addéntque pro colophone vulgatam illam Platonis ſententiam, quæ ſeptima in ipſius epiſtola habetur, & libro quinto ac ſexto de rep. Philoſophantes rectè in his adminiſtrationibus verſaturos, non alios. Huic ſententiæ & rerum experimenta adiungent: Epaminũdam, reliquosque Thæbeos philoſophos, & remp. illam, philoſophis clauum tenentibus, fœlicem: item Dionem, & philoſophorum exercitum eius: ſimilia exempla adgregabunt, quibus ſua hi dicta confirment, noſtra refellant. Ceterùm neque nos longè hinc iubemus litteratos faceſſere, ſed literaturam exquiſitam non requirimus, &, ſi placet, etiam improbamus. Et noſtræ ſtant rationes. Nam horum omnium, quos appellauimus, philoſophorum legationes aut tales fuerunt, quales ab talibus (Num & mulieres functas legationibus ignoramus?) hominibus tractari etiam poterant? Nos optimum legatum cogitamus, qui omnibus eſt legationibus aptus. Vir in libris perpetuò abditus an eſt huiuſmodi? Scilicet & in lucem noctua dimiſſa oculis non caligat. Notatus in re politica & Ariſtoteles eſt: atque erratorũ eius cauſſa illuc refertur, quòd minimè in rerumpub rectionibus verſatus fuerit. Quid alijs fiet ſtudio litterarum penitus addictis, ſiue obeunda legatio eſt, ſiue id generis aliud peragendum? Sed neque ego dum philoſophos a legationibus vacare iubeo, philoſophos omnes intelligo. Seruium, veterem illum iuriſconſultum, noſtros Bartolũ, Butrium, Iaſonem, Budæum, Guicciardinum, alios, qui legationes obiere, ineptos huic rei fuiſſe non iudico. Non Ciceronem inep-

tũ

Diog. App. Plu. Poly. Zos Proc. Gell. Xenoph. Pla. Cic.

Bodinus his. c. 4.

tum legatum exiſtimaſſem, quem Senatus Romanus aptiſſimum opinabatur. Demetrium Phalæreum, Hermolaum Barbarũ quis legatos optimos non cenſuiſſet? De illo Tullius, de hoc teſtimonia recentiſſima adfirmant, & doctrinæ ſtudijs, & ciuitate regenda viros excellentiſſimos extitiſſe. Iſtos ego a communi definitione ſepono, & alios eiuſdem rationis. iſti enim vt qui in Sole ambulant colorantur, ſic cum litteris ſuis traduci animis ſemper in rerum curam publicarum valent: maximè ſi litteraria ſtudia ea ſint, quæ diuerſa ab cura iſta non ſint. Ea fuerunt Phalerei, Ciceronis, Seruij, reliquorum, quos vltimò nominabamus. Studia fuere Ethica, Politica, Legalia. & illa nos adprobauimus. hoc tantùm ex conſilio Neoptolemi (diſſentiat, vt velit, Cicero) additum cupimus, ne omnino ſit incumbendum vel iſtis ſiue cognoſcendis, ſiue vſurpandis precognitis. Nam quid aut in iure ciuili penè innumera velit legatus cognoſcere, quæ priuati iuris ſunt, quæ ſunt forenſis exercitij, quæ ſunt adminiſtrationis certæ cuiuſdam perſonæ? Si cognita & hæc dein velit vſurpare, an non cum Scæuola ridebitur, cuius in Graccana ſeditione ineptiſſimum a iure ciuili ſumptum conſilium Valerius libro tertio capite ſecundo notat. Ridiculo & Iulianus Imperator fuit, quòd iuri innixus ciuili cum Seuero tamquam ex interdicto contendere de imperio voluiſſet. Fori aliud ius eſt, aliud regni. Ius ciuile, quod veſtigia etiamnum multa iuris huius publici tenet, & rationes vbique, optimaſque ad vtrumq; habet ius; in his ſcilicet legato inſeruiet. Hæc nouiſſe, ſatis: cetera inutilia, etiam & vſurpatu inepta. Diſciplina Peripatetica, quã ſectatus Phalereus eſt, ipſa non minoris fuerit vtilitatis legato. diſciplina enim eſt, quæ non ex inanibus ſpeculationibus prodijt, ſed ex ipſis rerum experimentis: vt rebus agendis ſit aptiſſima. itaque rectè Cicero, ab hac claros inſtructos viros rempublicam ſæpe geſſiſſe, non ſemel memorat. Reliquæ ſectæ nihil omnino huc conferent. Non vides Muſonium illum, qui legatus Vitellij, Senatuſque permixtus Flauianorum manipulis dum bona pacis, ac belli diſcrimina Stoicè, quorum philoſophorum placita æmulabatur, diſſerit, ludibrio, tædio fuit cum ſua ſapientia intempeſtiua. Quid Coriolanum, qui natura Stoicus fuit, quid Catonem dicam? illius

C. lib. 2. Tuſc. *Gell. lib. 5.*

Spartia. in Nigro.

In Luc. & lib. 5. de fini.

Tac. lib. 5. hiſ.

duram iſtam ſapientiam benè improbat libro octauo Dionyſius: & alterius ſeueritatem ſtultam quoque alij faciunt. Aptus an eſt reip. tractandæ Academicus, qui, quid agendum ſit, numquam definiet? De cæteris ſcholis nihil eſt cur aut verbum fiat. iacent enim ſolo proſtratæ, conculcatæ ab omnibus ſapientibus. Epicurei genus hoc vitæ etiam auerſabantur: ſed & Stoici. Legalem itaque, Ethicum, & Politicum, at e Peripato, philoſophum legatum volo; at etiam ſobriè. Volo non ex vmbra earum ſcholarum educi, ſed educatum in conſilijs rerum, atque in imperiorum adminiſtratione verſatum. Volo, ſtudia litteraria huc ſua omnia, ſemperque relata fuiſſe. nam & Plato ineptiſſimos ſuos illos philoſophantes ducit, qui aliter egiſſent. Ac (vt ad alia progrediamur) tales fuiſſe Epaminundam, Dionem, reliquoſque iſtorum exiſtimo. Ita Ariſtotelem accipio, qui libro ſecundo Rhetoricorum ex philoſophiæ ſtudio homines ad prudentiam fieri acriores conteſtatur.

Eraſ. in mor.

Plu. adu. Colo. & in rep. Sto.

Lib. 7. de rep.

CAP. XI.

De fide Legatorum.

Eò nunc peruenimus, vbi diſputandum de his virtutibus eſt, quas in legato præcipuè (omnia enim ſuperiora elegantias, atque vrbanitates dixerit fortaſſe Plato) reperiri oportere exiſtimamus; fidem, fortitudinem, temperantiam, prudentiam. Ad iſtas virtutes legati animus conformandus eſt, atque inſtituendus: nimirum ad fidem veluti corpus ad pulcritudinem: ad fortitudinem veluti ad robur, & vires: ad temperantiam veluti ad ſanitatem: ad prudentiam verò veluti ad ſenſuum ſubtilitatem. Harum verò virtutum primordia quidem ſunt ex natura: media verò & fines ex diligentia: ac ſicut illa in corpore gymnaſtices adiumento, & medicinæ; ita in animo iſta eruditionis, & philoſophiæ beneficio cōparari dicuntur. Et de fide quidē ita ſtatuimus, vt ea virtute nihil in legato illuſtrius, nihil magis formoſum, decorumque reperiri poſſe exiſtimemus. Ea virtute debet maximè abundare legatus. nam in ipſius fidem

Epiſt. x.

Pla. de ani. mu.

princeps

princeps ſe totũ commiſit. habita autẽ fides ipſam (inquit vir vel barbarus) obligat fidem. Atque id validè contra Æſchinẽ intorſit Demoſthenes, dum virtutem hanc in legato non ex ſemiſſe requirit, cui fides adiuncta in totum a mittentibus eſt. Sic efficiet, vt Sapiens laudet ipſum, dicens: *Legatus optimæ fidei medicinam facit.* iterumque: *Vt frigus niuale tempore meſſis legatus fidus mittẽtibus ipſum: nam animam dominorum ſuorum reſtituit.* Quo etiam oppoſitum virtuti vitium maius eſt, ex eo, quàm minimè liceat ab ipſa virtute declinare, clarè perſpicitur. At proditione quid grauius, tetriuſque? Legatur Xenophon rerum Græcarum libro ſecundo, Cicero in oratione pro Sex. Roſcio, Dionyſius libro ſecundo, & octauo Antiquitatum. Sed pœnas quoque infideliter geſtæ legationis percenſere, inutile haudquaquam fuerit. nam ita oſtendetur, curæ Deo maximè hanc curam eſſe, qui non vltam, & ſeueriſſimè quidem, eſſe perfidiam, haud facilè patitur. Metrodorus igitur, qui a Mitridate ad Tigranem miſſus, vt regem arma Romanis inferre perſuaderet, cùm a Tigrane, quidnam hac de re ipſe ſibi conſuleret, rogatus eſſet, reſponderítque, ſe vt legatum rem expoſitam ſuadere, vt conſiliarium improbare, redactus in Mitridatis poteſtatem ſupplicio merito affectus eſt. Alexa legatus Antonij ad Herodem pari delicto pares & ipſe pœnas perſoluit. Necatus ab Athenienſibus Timagoras eandem ob infidelitatis occaſionem. Sed quid ſingula exſcribam? In Logobaſo Selgenſium legato diuinæ iræ iudicium vehementer enituit. qui quòd legationem prodiderit, non ipſe ſolùm, ſed ſtirps eius tota crudeliſſimè, inopinatoque trucidatur. Vindicatur ſcilicet ius iſtud legationis ſic ſeuerè, vt & in filijs vindicetur. Accipe in diuerſa parte exemplum. Filij Antimachi nequidquam Agamemnoni ſupplicantes necantur, quòd pater Menelaum ad Troiam legatũ profectum interficiendum monuerit. Veriſſimè igitur ſapiens: *Nuncius improbus incidit in malum.* Neſcio autem, ſi inter iſtos referam Attilium Regulum, qui ſupplicijs exquiſitis interfectus a Cartaginenſibus eſt: eam proculdubio ob cauſſam, quòd legationem in contrarium egit, pro qua fuerat Romam dimiſſus, & quam ipſe ſe obiturum receperat. Laudetur ſanè Reguli fortitudo,

Liu. lib. 22.

Prou. 13. & 25

Plut. in Lucul

Plut.

Xenoph. lib. 7. re. Græ.

Polyb. lib. 5.

Ilia. 11.

Ap. de be. Pu. Flor. lib. 2. A. Vict. alij.

Cic li. 3. de off

& hæc ipſa fides, dum reuerſus Cartaginem eſt, ſicuti promiſerat: certè in eo vituperandus videtur, quod contra ſuſcepta mandata diſſeruerit: & propterea genere peſſimo mortis enectus iuſtiſſimè fuerit. Prodidit legationem. At patriæ caritatem ius omni iure potentius aliquis fortaſſè ad Reguli fidem excuſandam nobis obijciet. verùm is rectè videat, ſi excuſatio procedit. ego enim potiùs non ſuſcipiendam, quàm vllam ob cauſſam prodendam ſuſceptam legationem exiſtimo. Nam quod ipſis hoſtibus data fides ſeruanda ſit, nec in dubium reuocatur. Cetera, quæ de fide legatorum dicenda ſuperſunt, ibi explicabimus, vbi eam a prudentia expenſam oſtendemus. Nunc enim de iſtis virtutibus ſimpliciùs diſputamus.

CAP. XII.

De fortitudine Legatorum.

ALTERA virtus, qua præditum eſſe oportere legatum diximus, fortitudo eſt. Nec verò eſt ratio, cur intrepidè munus ſuum non obeat, tanto iure munitus, tutuſq;. Sed tamen fortem præſtare ſe virum legatus debet, etiã ſi quid contingat ſecus. Nam vt potuit multis ſibi propoſitis exemplis cogitare, fieri iſtud poſſe, ne iura legationis inuiolata ſibi illic ſint, quo proficiſcitur: ita & aduerſus omnem vim præſtaturum ſe officium ſuum pollicitus exiſtimabitur. Neque enim verum puto, quod M. Tullius quandoque protulit, ſine vllo mortis metu ceteros legatos ſemper profectos, vno Seruio Sulpitio excepto, qui ad Antonium miſſus erat. Cur enim omnes non vereantur, quòd ſciant legatis non rariſſimè ſolitum euenire? Sed iſte ſupra mortales omnes immanem Antonium eſſe volebat. Non eam ergo confidentiam ſibi legatus noſter adſumat: at cogitet ſe vel ad regem Eleorum ire, qui quàm ſęuus eſſe in legatos conſueuiſſet, Heraclides nobis recenſet. illos admodum multos cogitet, quos capite decimoquarto retulimus proximi libri, quique non vno modo ius legationis ſanctiſsimũ violarunt. & cogitet Marcum (vt nominat libro primo Paterculus) ſiue (vt appellat Cicero,

Philipp. 9.

In li. de Polit.

cero, Liuiuſque) Caium Popilium Lenatem, qui longè minus præclaré ſe geſſiſſet, ſi priùs & non cogitaſſet, mortem ſibi ex tanta aſperitate obtingere potuiſſe, & vitam, forti facinore, reip. non deuouiſſet. Non hoc eſt Popilij niſi ingentis fortitudinis factum, quod longè ſuperat opera omnia confidentiæ. Hunc cogitet virum legatus; quem nouit etiam interfectum, cogitet alios: cogitet & reliqua pericula; & animum aduerſus cuncta obfirmet. Nam iuri tantùm confidere, maximè periculoſum eſt, cum quid ſecius contingit: quoniam turbamur a rebus non cogitatis, animis non paratis. *In eo*, ait Dio, *quod accidit præter conceptam opinionem, deficit mens, & perturbatur conſilium ſic, vt omnes tum temporis peſſimè ſoleamus deliberare.* Et Plutarcus: *Gignit quidem audaciam, hæc non cogitare, ſed tantùm ius: at aufert etiam fiduciam.* Et Socrates (vt eſt apud Xenoph. lib. 4.) inquit: *Fiducia negligentiam parit. & rebus improuiſis turbamur*, ipſius Xenophontis teſtimonio in Hipparchico. Ad hæc verò agenda & legatum inuitare alia multa debent, & fortiſſimorum, laudatiſſimorumque legatorum exempla, & honores habiti legatis, qui in legatione fortiter geſta, vel mortem, vel aliam iniuriam paſſi ſunt. Interfectus Popilius eſt? At (quod ait Cicero) pro breui vita diuturnam homini ciues ſui memoriam, columna in Roſtris erecta, rediderunt. Errat enim Plinius (vt ad illum Barbarus ſcribit) factum hoc non Popilio eſſe, ſed Octauio narrans. Octauio ſtatua poſita eſt. reddita (inquit Cicero) eſt Octauio a maioribus ſtatua pro uita: quæ multos per annos progeniem eius honeſtaret. De alijs alibi, & de alijs honoribus diximus, qui fortibus legatis more omnium gentium tributi ſunt ſemper. Quare eoſdem, ſimileſue expectare omnis meritò legatus poteſt. Iuſtus enim hic honos eſt: & iuſtitiam ſperare a ſuis vir benè meritus optimè valet. Age igitur, legate, pro iure tuo ſanctiſſimo, pro ea fortitudine, quam debes, pro ijs honoribus, quos expectas, tot imitare fortiſſimos legatos, fortiter æmulare. Age, en alia tibi exempla commonſtro. Iphiclem memineris Epirotam legatum ad Valentinianum, Epaminondam ad Ageſilaum, Clodium ad Tigranem, Caſperium centurionem ad Parthorum regem Vologeſem, & alterum centurionem Cornelium, qui cunctanti Senatui petitum Octauiano conſulatum deferre, re-

C. Phi. 8. L. lib. 43.

Lib. 42.

In com. Peri. & Fab.

Lib. 34. c. 5.

Amm. lib. 30. Plu. in Age. in Luc. Tac. lib. 15. Suet in Aug.

iecto ſagulo, manuque ad gladij capulum admota, Hic (dixit) faciet, ni vos feceritis. Agidem reminiſcere Perſam, qui Craſſo, diſpecturum ſe Seleuciæ neſcio quid minitanti, ſublata manu mediamque palmam oſtendens, In hac priùs (ait) palma ſeræ naſcentur, quàm tibi Seleuciam conſpiciendi poteſtas ſiet. Sed nec plura legatorum fortia facinora tibi legato noſtro enumero. Tu, quem peritiſſimum hiſtoriarum ſcimus, hanc ipſemet tibi operam nauabis. Nunc ego de temperantia ſcribo.

Plut. App.

CAP. XIII.
De temperantia legatorum.

ARISTOTELES libro Nichomachiorum ſecundo, & magnorum moralium primo temperantiam circa voluptates medium quoddam eſſe docet: non quidem circa omnes, ſed corporales, atque eas maximè quæ in tactu exiſtunt; immo circa has ſolas: vt in magnis moralibus loquitur, & eorundem Nichomachiorum libro tertio. Cicero autem paullò accipit latiùs pro ea virtute, quæ rebus decorum imponere modum videtur, ſiue id ſit in corporis quibuſque, ſiue in animi voluptatibus moderandis, & cohibendis. Et Plato in Conuiuio: *Illud inter omnes eſſe conſtat temperantiam, voluptatibus, & cupiditatibus dominari.* quam habet & in Phædone definitionem. Sunt qui matrem, & normam cæterarum omnium virtutum eſſe contendunt. Et quæque bonis rationibus ſtat. Itaque liceat mihi Ciceronem ſequi, aut etiam Platonem, qui libro tertio ac nono de repub. planè ſic accipit virtutem iſtam, vt hîc ego acceptam velim: pro ea ſcilicet, quæ ab auaritia, nimijs cibis, venereque, alijsque oblectamentis nos retrahit, ac, in ſumma, concupiſcibili multiplicis, variæque rationis parti frenum adhibet, & dominatur. Sic quod vix benè referri ad liberalitatem poſſe viſum Ariſtoteli eſt, nos huc retulimus, abſtinere, & temperare ſe a muneribus accipiendis. Temperare autem legatus debet: quoniam munera qui ſemel acceperit, & largitionibus eſt corruptus, is (vt exclamabat in Æſchinem alter) non iam conſtans manere iudex commodorum publicorum poteſt. immo vt vt obierit rectè legationē

Lib. 1 de off.

Scal. lib. 3. Poet.

Lib. 4. Ethi.

gationem, probat ille, nec id credi oportere, nec fieri omnino poſſe. Præceptum verò huiuſmodi perſonis illud Dei eſt. *Ne ſuſcipito munus, quia hoc oculos excæcat ſapientum, & verba iuſtorum peruertit.* Qui a quocunque pecuniam recipit, ſui ipſius dominum illum conſtituit. vt ex Socrate libro primo de eius factis, dictisque Xenophon refert. Abſtineo ab alijs teſtimonijs cõquirendis. Sic itaque ille idem orator in Æſchinis concionantis (vt credo) morẽ acerbiſſimè inuectus, *Non cõcio*, inquit, *habẽda eſt, Æſchines, manu in ſinu condita, ſed obeunda legatio eſt manu in ſinu condita*. Et verò cur ita legatus non faciet? Refert Valerius, legatos quoſdam Romanos munera quidem accepiſſe, ſed detuliſſe etiam in ærarium, & quidem priùs quàm ad ſenatum legationem referrent exiſtimantes de publico miniſterio nihil vmquam præter laudem benè adminiſtrati officij debere priuatis accedere. Sed non ij ſolum ſic iudicarunt. In ſumma, temperare ſe a muneribus accipiendis legatum debere, id docet maximè, quod omnium gẽtium legiſlatione cautum eſt. vt capite vltimo libri proximi adnotauimus: & hîc Corinthios addimus, quorum ibi mentionem non fecimus. addimus & illud ex re Romana, quod rogationem Romæ latam Salluſtius ſcribit in eos, qui pecunias in legationibus a Iugurtha accepiſſent. Temperandum & a voluptatibus legato eſt. Quid enim (ne quid de vitio intemperantiæ abſolutè dicam) ſi in Philippum aliquem, aut in aliquem Bonoſum legatus inciderit? Legatos Thebanorum, quorum temperantiam Demoſthenes laudat, an putamus abſtinere a muneribus potuiſſe, deincepsque incorruptos manere, ſi inter Philippi pocula temperãtes, dolente rege, non extitiſſent? Bonoſus ad ebrietatem legatos pellicere cõſueuerat, vt arcana pectoris eorum palàm omnia noſceret. Sed & Perſæ legati ab filio Amyntæ interfecti documento omnibus legatis ſunt, vt a vino, vt ab illicitis cupidinibus ſanctè abſtineant. Habet Herodotus hiſtoriam. Nec tamen ego adoleſcentis factum tum temporis improbatum probo: ſed iuſta pericula oſtendo. Simile quid Arabum apud Herodem legatis accidiſſe, Ioſephus libro decimoſexto, capite ſeptimo antiquitatum narrat. Quæ vel ſimilia Xenocrates Athenienſium legatus cum incurrere nollet, dicitur nec quidquam voluiſſe aut guſtare priùs

Deut.16.
Lib.4.c.3.
Plut.in Apo.
Vopiſcus.
In Terpſic.

quàm legationem ſuam expoſuiſſet. ea erat ad Antipatrum de redimendis captiuis. igitur ad cœnam a rege inuitatus talia protulit carmina.

Quis cupiat Circe prudens, vel ſanior vmquam
Suſtineat bibere, atque cibum guſtare priuſquam
Soluantur ſocij, mihi vel reddantur ad vnum?

Refert etiam Laërtius, hunc & ad Philippum cum alijs legatione functum & a conuiuijs, muneribusq; (Philippo etiam fatente) ſolum Athenas incorruptum redijſſe: ac ibi maximis propterea honoribus honeſtatum. Gabinij legati Romani extat exemplum non abſimile; & Antalcidæ aliud apud Ælianum. Verùm de temperantia hoc loco ſatis. neq; enim huius virtutis partes percurrere omnes decreui: neque exempla omnia recitare, quæ de temperantibus, & intemperantibus legatis tradita ſunt; nec illud quidem, quod de Celtiberis ridiculũ ſcribit libro quadrageſimo Liuius. Temperantiam ſic ſectari legatũ volumus, vt nec facto, nec dicto vllo decoram minus aliquando reddat perſonam, quam ſuſtinet. Scripſerunt Cicero, Plutarcus, Caſtelioneus doctè, plenéque de liberalibus, & illiberalibus dictis, facetijs, iocis, ſalibus. Illud certè flagitioſum etiam fuit, quod in Demetrium a legatis ſuis prolatum eſt apud Lyſimachũ. Huic cicatrices, quas ex morſibus Leonis, quo cum Alexandri iuſſu aliquando pugnarat, oſtentanti, Et noſter quoque (retulere legati) rex graues in collo gerit morſus, quos ab Lamia (hæc mulier Demetrio adamata) fera accepit. Homines in principem contumelioſi, qui iocum de eo ſumptum voluerint. De prudentia ſermo conſequitur.

App. de be. Mithr. — *P. Symp. lib. 2. q. 1.* — *Plut.*

CAP. XIIII.
De prudentia legatorum.

DE prudentia verò quam hoc loco virtutem dico in perſpicientia veri, ſollertiaque verſantem, ſic ſtatuo, vt ea ad legatũ pertinere maximè videatur. nec enim nuncius tantùm verborum legatus creditus eſt, ſed & rerum iudex appellatur: & (quod nobilis Venetus monuit) aures, & oculi imperiorum legati ſunt. Quod aliud profectò non

Cic. lib. 1. de off. — *Pla. in Hipp. ma.* — *Demoſt.* — *Guicc. lib. 15.*

eſt

eſt,quã ſummæ prudentiæ partes legato de mãdatas aſſerere. Prudentis enim eſt hominis acutiſſimè videre quid in re quaque verum ſit, non labi, non errare, non decipi, non neſcire. Et Ægyptij ſic per depictam aurem intentum hominem ſignificabant, & per oculum vigilantiam, atque prudentiam. Adde, quod Sapiens facit nuncium imprudentem tamquam ſi ſine pedibus ire deberet. In hoc igitur genere virtutis vt excellat legatus, maximè ei fuerit enitendum. & excellet facilè ni ingenium ad res ſubitas deeſt: & ſi incognita pro cognitis numquam habeat; non his temerè aſſentiatur, ſed adhibebit ad conſiderandum & tempus & diligentiam. nam omnia (vt dicebat Fabius) non properanti clara, certaque fiunt: & feſtinatio improuida, ac cæca eſt: ſcientiæ nouercam dixit Plato in Politico: & ille Ætolorum prætor, Conſilijs nullam rem tam inimicam, quàm celeritatem; celerem enim pœnitentiam, ſed eandem ſeram atque inutilem ſequi; cum præcipitata raptim conſilia neque reuocari, neque in integrum reſtitui poſſint. Vbi igitur tempus datur, illic nihil temerè. Quum enim quid facto opus eſt, illud certum ac perſuaſum iam eſſe debet. vt Socratẽ Crito admonebat. Hi ſunt ſapientiæ nerui. Videndum tamen, ne cunctatio ſit atq; ſi ſit nihil. Nam vt ſapientis eſt non præcipitãter credere, ita omnino haud credere, rebus agendis (quod alter dixit) aptum non eſt. & ineptè alioqui Senator ille præſtantiſſimus auribus legatũ comparaſſet; quæ & intentum hominem, & ad aliquid agendum intentũ oſtendebãt. Ni ſcilicet innuere magis volebat, legatũ etiam exploratoris munere defungi oportere. Quod a veriſimili non longè poſitũ eſt. audimus etenim legationibus multis & hoc iniunctum, vt ſpecularentur, explorarent res eius, ad quem ibant. Nec fortè indecorum eſt: ſi Plato exploratores omnino in rep. ſua iubet eſſe. Senſit verò ita ſe rem habere Henricus VII. Angliæ, quem propterea paſſum numquam temporarios apud ſe eſſe legatos, narrant. Et ſanè quid non palàm vel profitentur legati Veneti, qui nihil non narrare a legatione reuertentes ſolent, quod ad rem ſpectet publicam, in qua fuere legati? Ceterùm ipſe hoc in legatis non adprobaui. & alieni regni arcana non ſcrutanda, Honorius ac Theodoſius Auguſti monuerunt. Ergo de prudentia, vera virtute, ſermo ſit noſter. Atque vt prudens legatus

Orus. *Prou.26.* *Liu.lib.22.* *Liu.lib.31.* *Epicarmus.* *Polyb.lib.8.* *Liu.lib.22.27.38.42.* *Eu.i.Ilia.a.* *Lib.13.de legi.* *L.4.C.de commer.& merc.*

ſit, nec iuuenem eum ego velim, nec talem, qui exteras regiones numquam frequentarit, præter id, quod diximus, eſſe ipſum oportere iam olim in rerum negotijs publicarum verſatum. Ac in eo, quod de ætate ſcribimus & Græca conuenit appellatio, qua idem ſenibus, legatiſque nomen tributum renunciant, & iuuenum natura certiſſima, vt ſimplices ſint, creduli, ac facilè decipiantur, imperitique actionum vitæ meritò iudicentur: ex quibus tamen rationes conficiuntur, & tota prudentia informatur. Alterũ quid attinet dicere? peregrinationes eſſe perutiles, ait libro primo Rhetoricorum Ariſtoteles, nemoque non adfirmat: & Vlyſſem cum vellet Homerus prudentiſſimum fingere, virum ipſum cecinit, qui multorum hominum mores, & vrbes nouiſſet. Quid exterarum rerum imperitiſſimum mittemus ad exteros? Illum autem pregrinatum dicemus, qui peregrinationis ſuæ teſtimonium tale habeat, quale rerum peregrinarum peritum virum oſtendat. Nec enim quidquam mouet, ſi peregrè fueris, & huic ſcientiæ operam non nauaſti. Itaque nec adoleſcentes crediderim fructum huiuſmodi referre poſſe. quod omnino ſcilicet ſenſit Plato, qui annis quadraginta minorem peregrinari prorſus vetat. Chalcidenſes autem (Heraclide in Politijs narrante) legem habebant, ne quis annos infra quinquaginta natus legationem obiret. Ego certè vt nollem ætatem adeo prouectam expectari: ita, quid in legatione ſit, ſic cenſeo videndum, vt ex eo iudicium de re iſthac tota fiat. Nam adoleſcentes ad Iugurtam legauere Romani. & duos ego pænè pueros egiſſe legationes præſtantiſſimè *ſcio*: *Georgium Khiſl Baronem a Kaltenprun, Germanum, & D. Philippum Sydneiũ Anglũ*: pares mehercule præſtantibus animis, virtutibuſq; viros. Nam etſi cum Barone Khiſl verſatus non ſic, vt cum altero, ſiem: quid tamen de illo a Matthæo patre non audio, qui etiam familiariſſimè, dum medicus vtriuſque Ducatus Carniolani fuit, & cum illuſtriſſimo ipſius parente, totaque familia nobiliſſima, & annos quidem ſe plures habuit? quid non fama prædicat? quid edita ingenij ſpecimina non oſtendunt? quid & ego, tamquam leonem ex vnguibus, vno, & altero congreſſu virtuoſiſſimum virum non agnouerim? Eius, Sydneíque legationes in officium fuerunt. Has cur etiam adoleſcentes non agant, ratio non eſt. Ad reliquas certè, quæ

Ariſt. li. 2. Rhe. & lib. 1. Eth.

Odyſſ. 1.

Lib. 12. de legi.

quæ iudicij maturitatem quandam requirunt, etſi de Guicciardini ad regem Aragoniæ legatione, aliáue quis exciperet, niſi eum, qui trigeſimum annum exceſſerit, aptum adfirmare non auſim: nec hominem iuniorem cenſeo peregrinari rectè poſſe. Supra illum' annum ætas eſt, quæ Ariſtoteli probatur, nec improbatur Platoni. Sed non eſt præſens locus ſtatutus, vbi de prudentis legati rationibus exquiſitè dicam: ſtatutus eſt, vt ad eam virtutem legatus excitetur. In id igitur addo, quod ab legatorum imprudentia contingere mala maxima poſſunt, ſolentque: quare vel ne iſtud fiat eniti ſummopere, vt prudentiſſimè omnia attendat, & agat, legatus debet. Num proferam enunciati hiſtorias? Sunt eæ non paucæ. Spartani legati Athenas pacis gratia ineundæ miſſi, conſilio Alcibiadis fraudulento auſcultantes per imprudentiam, bellum pro pace, quam quærebant, & iam habebant in manibus, retulere. Adi Plutarchum. Legati quidam Cartaginenſes (idem auctor ſcribit) lapſi fœdè ſunt, cum non cognoſcerent actiones eò tendere Timoleonis & Andromachi, vt illorum reſp. rebus Siculis proſpicere ſtatim nequiret, & Timoleonis reſiſtere conatibus. Deluſi præclaram rerum Siculárum occaſionem ſuis præciderũt: & fruſtra mox iactarunt minas; in quibus relatum eis par eſt. Ceterùm longiſſimus fuero, ſi iſta vel attingo leuiter. Imprudentia legati Romani bonam benè agendę rei rationem præſtitit Perſis: quod recenſet Procopius. & legatorum ab Alba imprudentia eam occaſionem regi Romano dedit, quam cupierat. vnde & cecidit Albana ciuitas. Hæc ſatis. Nunc de prudentia dicemus, quæ (vt apud Platonem in Critone eſt) non vna eſt virtutis ſpecies, ſed reliquarum dux, & mater: & ad cuius præſcriptum omnes cõſtituuntur. Iſtam Plato, & Cicero definierint, ſcientiã opportunitatis idoneorũ ad agendum temporum, & cauſſam, vt rectè agantur omnia: arbitram, & normam cunctarum virtutum. Ipſa fidei modum præſcribet, ne ad ſuperſtitionẽ, aut huic contrariam impietatem labatur. ipſa oſtendet tempora, menſuramq; fortitudinis, ne temeritas, feritáſue ſiet. ipſa rationẽ temperantiæ docebit, ne in ruſticitatem, ſimiléue aliquod vitium euadat. ipſa denique medium illud exhibebit, in quo omnis virtus conſiſtit. ipſa ſui moderatrix eſt, ne verſutia meritò exiſtimetur.

A. lib. 2 Rh. *Pla. ep. 2.*

In vi. Alc. & & in vi. Nici.

Lib. 2. de be. Perſ.

Liu lib. 1. Dionyſ. lib. 3.

Diog. in vi. Pla. Cic. lib. 1. de off.

CAP. XV.

De prudentia Legatorum, & fide.

ET verò vt cœptam diſputationem ex ordine reſumamus, agitedum, quæſtiones de fide examinemus ad iſtum lapidem. Illa autem, quæ incurrit prima, nullam habet difficultatem, Si legatus, vt fidum ſe domino præſtet ſuo, a fide poteſt diſcedere, quam Deo debet. Sceleratorum hominum, mancipiorum turpiſſimorum, Orco deuotorum pectorum voces illæ ſunt, illi animi ſunt dicentium, nutum principis ſuam eſſe in Deum fidem, ſuam religionem. Itaque nec temporarius legatus audiet, ſi quid ipſum agere princeps velit, quod fidei Deo deuinctæ vel tantillum derogare videatur. Quid enim in obligatione omni, qua quis homini obſtrictus eſt, ſic obligatio non excipitur, qua Deo tenemur, vt in fidelitate ſit feudali cum rege & Imperatore? Reſcribat ergo legatus principi, obedire ei ſe per religionem ſuam non poſſe. quam debuit & notam illi feciſſe, maximè ſi cauſſa ſit, cur aliud, diuerſumque de legati ſui religione princeps potuerit cogitare. Nam vt nullam ſubibit legatus notam, qui notus principi eſt, ſi is quidquam mox petat, quod religioni ſuæ aduerſetur: ita iuſtam non euitabit reprehenſionem, ſi legationem ſuſcipiet rege de ipſo aliter opinante. Sed nec alius vllus legatus adeo amens fuerit, qui in diuinam fidem peccare, quàm in regiam malit. Is tamen, quicunque erit, aget peſſimè, ſi certam ſuſcipit legationem, cui lex Dei ſui impedimento eſt, quominus illam conficiat. Alter fidem principi tantopere non violabit. Violat tamen vterque. Tamen vt violet, maior ratio facit. Et ad rem Claudius apud Dionyſium pulcrè illa: *Iuramenta rei malæ ſeruare impium, non ſeruare pium eſt: Deus enim ſe ad pulcros, iuſtoſque conſenſus adhiberi gaudet, non ad iniuſtos, & turpes.* Quæ eleganter, ac multis vtriuſque iuris, ceterorumque teſtimonijs auctorũm confirmantur. Atque hæc in tanto noſtrorũ temporũ religionis diſſidio inutilia nullo modo ſunt. Velim autem, tantum eſſe ſuperni numinis reſpectum, vt ſi vmquã, hîc maximè cogitaret legatus, rationẽ eius diſtinctionis non habendam, An quid vt legatus, vel vt Fabius agat. Vanum enim

Feud. li. 2. tit. 7

Lib. xi.

p. 1. Auth. ſce. non ſo. Vide de reg iu. in VI.

enim documentũ & ruſtico illi viſum eſt,cuius ea quæſtio fertur, Quid Fabio fiet, legato in Tartara demiſſo. Mixta eſt in legato perſona, non duæ perſonæ ſunt:in qua ius Dei cum ſit potentius, trahi ab hoc alterum omnino debet. Non ignoro quid de Syro, *2 Reg.5.* quid de alijs noſtræ ætatis regeri queat. Sed horum facta conſenſu mox omnium reprobata facere negotium definitioni noſtræ nõ valent. Altera quæſtio eſt, ſi principi parere legatus debeat in his rebus, quæ ſuam lædunt admiſſæ famam, exiſtimationem, dignitatem. Fingite, iubere principem, legatum ſuum mentiri, fidẽ fallere, ſimile quid probroſum admittere. Et ipſe hanc eadem definitione excipio. Quid enim ſi iſta licerent in principis gratiam, non licerent & reliqua? furem eſſe? adulterum eſſe? paricidam eſſe? belluam eſſe? hoc eſt, vitijs omnibus inquinatum. Fortunas, ſanguinẽ ipſum principi debemus. & vtrumq; effundet legatus libẽter, quo ſe fidum domino ſuo probet. Sed religionem, ſed virtutem non deſerat. Equidem ſcio, quàm iſta ſint ab vſurpatis moribus diſſita. Sed ego legatum fingo, non qui eſſe ſolet, at qui eſſe debet. Num verò probem legatos vel millies miſſos ſpeculatores? perfidos? fallaces? Sed proditores iuris gentiũ iſti ſunt. Num Romanos laudem, qui legatos miſerunt, pueri in ſpeciẽ regis Demetrij regni *Polyb. in Select.* conſtituendi, reapſe vt infirmarent, Macædoniæq;, Græciæque res vt ſpecularentur? Num Syracuſanos feram, qui, vt Plato (ſi eius eſt dialogus) in Eryxia tradit, legatos in hoc vnum miſere Athenas, quò iſtam ciuitatem fraudibus circumuenirent? Sexcenta huiuſmodi ſunt. non me fugit. Sed iuſtitia quid conſtans eſt, nec motabile prauis vllis hominũ inſtitutis. Certa hæc ſunt. Modò quæſtionem propono: in quà paullò magis ſit deſudandum.

CAP. XVI.

Vtrum legatus, ſi e re eſſe credit, fallere debeat principem.

QVAESTIO eſt, ſi principi imponendo, dum eiuſdem commodum quæritur, malè, & contra fidem legatus faciat. Et ſanè quidquid excellentiſſimus diſtinguat Taſſus, ego in ea ſententia ſum, ne aliquod tale a legatis vmquam committi debeat. Si enim quod optimè etiam *Liu. lib. 4. 8.* ceſſit, voluit ſiue Poſthumius, ſiue Manlius,

aut & hic,& ille præſtantiſſimorum filiorum mortibus punitum, quoniam contra imperatorum patrum præcepta pugnaſſent; & in Fabio mox pro renouato habitum exemplum iuſtiſſimum eſt: atque ſimilem de Epaminanda quæſtionem libro primo de Inuẽtione recitat M. Tullius: quid iſtas laxamus nos legato habenas? Illic de re benè geſta iam non dubitabatur. hîc vel ſi certus ſpondeatur euentus,non deeſt hæſitationi locus. vtrobique contemnitur præceptum non contemnendum. Ac Athenienſes quidem licentiam hanc legatis eſſe minimè opinabantur,qui legatos in Arcadiam miſſos,quoniam alia via,quàm imperatum erat, profecti fuerant,mulctarunt morte:mandata etiam ſi perfeciſſent.Et ijdem quid mandatis ſubijciebant,*Legati præterea quidquid boni poſſũt, agunto*:ſi crediſſent,ex fide facturos iſthæc legatos? Quod ſi nec de omiſſis cogitarũt interponere ſe legatũ poſſe, quid in quęſtione noſtra cenſuiſſent? Grauius profectò eſt, contra voluntatem, aut expreſſa mandata facere, quàm id facere,de quo cautum non eſt.Et verò quid poſſit legatus abſque mandatione tentare? Procurator certè,cui ſic eſt ſimilis legatus,vt pænè idem videatur, nihil agere huiuſmodi valet. Legatus interpres eſt.an interpres eſt, qui diuerſa refert ab eo,quod interpretatur?Huc morem aduocemus,cuius Seruius meminit, vt a legatis ſuperflua quoque renunciarentur:id quod omnino ſignificat, nihil prorſus celatum principi eſſe oportere. *Nuncium* (dicitur Ilia.9.) *renunciate:hoc enim munus eſt legatorum*.& Plato in Politico ſic:*Preconum genus obſequijs addictum,vbi alienam ſentẽtiam accepit,eandem indicit*. Nec quidem, ſi in certo mandato verſamur, dubito quin non legatis liceat vel tranſuerſum ab illo vnguem ſecedere. Et Homerum,quem Taſſus notat,quòd legatos eodem verborum contextu loquentes facit,quo dictata illis legatio eſt, ego potiùs adſertorem noſtræ huius laudo opinionis. Nam quæ ea fuit & Virgilij religio? Quæ ſua Taſſi?Hi certè etſi non adeo præciſè,vt Homerus, valdè tamen ſunt in formula retinenda & ipſi.Loci Homerici ſunt Ilia.2.7.8.9.alibi. Quod ſi Homerus idem in hominum legationibus ſeruat;nec eſt tamen improbandus. quia in heroibus non diuerſa fuerit ratione procedendum. Plato quoque omnium legationes(quod retulimus) hac in parte a Ioue facit. & de legatis

Aelia lib.6.

Aeſchin.

Lib.11. Aeneid.

Lib.4. Aeneid.

Lib.1. Hierus.

Romanis Tarentum aliquando miſſis ſic Valerius: *Legationem quibus acceperunt verbis peregerunt.* Atque Valerio Appianus non aduerſatur in re iſta, etſi diuerſa quædam (vt non multò poſt dicemus) in reliquo habet. Simile autem de Q. Fabio tradit libro vigeſimo primo Liuius. Ait. *Et Q. Fabius nihil vltra quàm vnum, quod mandatum erat, percunctatus*, &c. Ergo nihil nec falſi legatus renunciet, nec reticeat veri, eiuſue quod quod geſtum, dictumúe fuerit. Non principi reticeat, apud quem legatus eſt: quoniam iuſtam capiet moleſtiam ille, quandocunque iſta reſcierit. & non aliter atque matrimonia multis vltrò, citroque iactatis mandacijs contracta exiſtere ſæpe parùm grata, parumque concordia ſolent; ita proculdubio & cum negotijs ſic tranſactis eueniet. Ferendum id minus cum legati principe. qui quòd certam formam legationis præſcripſit, certè omnem huiuſmodi licentiam legato ademit. Scio, quid mihi reſponderi, aut obijci poſſit. fallendos amicos ſcilicet, qui errarent aliàs: adq; eorum vtilitatem multiplici etiam mendacio, varioque errore abutendum. quæ Plato lib. 2. & 5. de rep. ac Xenophon lib. 4. de fac. Socr. alijque ſcribunt, cum id generis alijs. ſed ea legatum non attingunt. Igitur hoc vnum legatus ſciat, officium ſe ſuum maximè agere, cùm intra ſuum ſe officium continet: neque voluntatis dominicæ arbiter eſſe volet, ac moderator. *Obedientiam* (dixit Deus: cuius imaginem principes in terris tenent) *non ſacrificium volo*. Legati officium (legatus Iuſtiniani ait Proc. lib. 1. de be. Go.) eſt ſuum cum fide miniſterium exequi. Atque his, quæ probata ſatis exiſtimo, illud adijcio: quod nec de re alia agent legati, quàm de ea, quæ vna ipſis demandata eſt: idque licet nec de mandata poſſint, ſi de altera agere nolint. Exemplum præbent legati a Philippo rege ad Titum; quod in fragmentis Polybij eſt: & Fabius, de quo monuimus. Et ſi omnino nihil dicere mox iuſſi ſint, & reuerti: hoc quoque fideliter præſtare debent. vt bellè ſanè cum Ludouico Moro actum a Florentinis legatis recitat libro tertio Guicciardinus. Non hæc egent latiori confirmatione.

Lib. 2. c. 2.

Xenoph. lib. 2. de fac. & de Socr.

1. Sam. 15.

Lib. 17.

CAP.

CAP. XVII.
De liberi mandati vi.

Polyb. & Ap. in Select. Diony. lib. 3. 6.

DIFFICILIVS eſt iudicare, quales ſint legati partes, iuſſi agere, quod ſibi videbitur. Neque enim dubium eſt, legationes huiuſmodi ſolitum mitti. Romam miſere Cartaginēſes, Achęi. Roma miſſæ ad Coriolanū ſunt, & ad plebem, quæ receſſerat. Ab ſingulis Latij ciuitatibus veniſſe ad concilium quoddam, memorat Dionyſius. Ab Athenis ad Lyſandrum, Xenophō lib. 2. re. Græc. Ab Olynthijs ſpartā lib. 5. Athenas a Lacedęmone lib. 7. & Plut. in Alc. Et ſæculo proximo miſſus a Duce Britanniæ legatus tanta cum poteſtate ad principes in Ludouicum XI fœderatos eſt, vt purum acceperit folium, cui inſcribendum curaret, quod factum ipſe cum principibus a ſuo Duce voluiſſet. Poſtulat ita aliquando res, ne quid certi legato præſcribatur: ſed vt ei ampliſſima poteſtas tribuatur agendi, quod e re eſſe crediderit. Sic Athenienſes apponebant: *Legati præterea, quidquid boni poſſunt, agunto.* Sic Demoſthenes verba, dixit, temporáque legatis tradi: hoc eſt, poteſtatem rei, quibus vellent verbis, agendæ, & quo tempore vellent. quia ſcilicet notū hoc fuerit: multa contingere ſolere, de quibus præſtitui nihil in mandato poſſit. Illa certè, in quibus præſens tractatio rerum certiora ſubijcere conſilia valet, committi legatis prorſus oportet. In his legatis prudentia maxima requiritur. His legationibus omnes ex æquo homines fungi non poſſunt. His legatis habendis diligentiſſimè incumbitur a principibus. Quæ erant Taſſi rationes, vt legato liceret verba, aliaque non pauca in mandatis mutare. Nam quid hæc omnia, ſi legatus nihil niſi mandata, præſcriptaq; renunciare deberet? Et veræ rationes ſunt, niſi in mandato certo verſemur. iuuanturque (ſi inde ſcilicet non deſumpſit Taſſus) ex his, quæ in oratione pro Fonteio Cicero de officio iudicis diſſerit elegantiſſimè. At verò huius etſi ſit tanta legati poteſtas. ſemper tamen ſapientiſſimi Menenij exemplum meminiſſe eum oportet, vt ſi quid præter opinionem omnem accidat, auctoritati non indulgeat ſuæ: ſicut nec Menenius, collegæque indulſerunt, qui ſumma poteſtate a Senatu donati pro pace cum plebe incunda

Commin. lib. 1.

Liu. lib. 45.

da

da, tribunos, poſtulata plebis, concedere, æquum eis viſum non fuit: quoniam (vt dixere) id præter omnem opinionem peteretur. Et fortaſſe facit iuris noſtri documentum, ne mandato vtcunque generali vnquam id veniat, de quo mandator cogitare haud potuerit. Certè conſilium Menenij contrario Caſſij facto egregiè comprobatur. de quo ſcilicet ſic Dionyſius ſcribit: *Leges fœderis cum Hernicis Caſſium conſulem inſtituere ſuo arbitrio, & rata eſſe ipſius placita, Senatus decreuit. Tamen huic non placuit factus hominis, qui accepto à Senatu honore, non viciſſim patribus honorem habuerit, vt communicaret cum eis conſilium, ſed, vt ipſi viſum eſt, conditiones pertulerit.* Scio autem, & hoc præceptum, variari ex occaſionibus poſſe, quæ moram illam a Menenio interiectam non ferrent. Sed nos diximus, quid fides, & prudentia non præceps acta repoſcat. Et documentum proculdubio veriſſimum eſt, ne quiſquam quantauis poteſtate inſtructus rem quamlibet peragat, inſcio, nec auctore principe ſuo, eóque, qui rem mandauit. Nam alia ſunt in eam definitionem exempla Herculis Ferrarienſium Ducis, Philippi Auſtriæ Archiducis, Antipatri, Agrippæ, Ioabi: quorum duo primi, quòd vſi ſint data poteſtate, illaudati; ſecundi probati ſunt, qui peractæ rei nomen dominis reſeruarunt. In Guicciardino, in Curtio, in Dione, in ſacris libris legat, qui cupit, hiſtorias iſtas. ego indicaui. Dico ad fidem legatorum pertinere, vt ita agant. nam ei, qui tibi dederit totum, par eſt aliquid aſſeruare. Quod ſi præcipitandæ ſunt moræ, nihil eſt, cur legati fidem princeps deſideret: etſi faciat ille vel aduersùs ea, quæ iſte cogitarit, monueritque. quoniam mandatorum ſupremum fuit, vt ex arbitrio ageret legatus ſuo. Sicut autem hi legati abſtinere ſe a quibuſdam debent, quæ permiſſa ipſis ſunt: ita ex aduerſo agere multa poſſunt rectiſſimè, de quibus ne verbum quidem factum eſt. Ecce in legatione P. Villij ad Antiocum regem quantum fuit, quod regi ſcierit (Polybio ego & Appiano potiùs credo) ſuſpectum Annibalem facere? De ea re nec cogitatum a Romanis exiſtimo: nam Villio in mandatis non datum, certiſſimum eſt. Quid egit Clodius Luculli ad Tigranem legatus, vt Mitridatem depoſceret? Multos interea potentiſſimos principes Romanis etiam conciliauit. Legatorum Athenienſium rogatu interce-

Lib. 8.

G. lib. 4. 6. D. lib. 4. 9. Sam. 2 c. 12. C. lib. 6.

Plut. Liu. lib. 35. P. lib. 3. A. de be. Syr.

pti a Sitalce illi Lacedæmones, quorum libro ſecundo meminimus, capite tertio. & de re iſta omnino vel ſuſpicari populus Athenienſis nō potuit. Legati Athenienſes, Spartæ cum alia ob negotia diuerſarentur, legatis Corinthijs ibidem Athenienſi populo maledicentibus egregiè reſponderunt. & longam eorundem Athenienſium cum Melijs diſceptationem retulit & in dialogum lib. 5. Thucidides. Habet ſimilia Liuius, & legatorum orationes fermè generis cuiuſque. Xenophon & multus eſt in hac Ageſilai virtute extollenda, quòd legatione defungens, & alia egregia patrare ſolitus fuerat. Sed an hæc facere licet? Diximus libro ſuperiori. Nec ſanè licet, ſi hoſtile quid admittatur in eum, ad quem legatio eſt. Etſi enim de eo, qui ad hoſtes mittitur, dici aliud poſſe videtur; quia inimicorum mala procurare, hiſque lætari, neque iniuſti, neque inuidi hominis ducitur: tamen quòd legatio non ſic admittitur, vt præter ea, quæ cum illo agenda ſunt, ad quē iuit, alia etiam agere poſſit (nam non eſt in alijs legatus; cùm is ad quem miſſus in alijs ſit, non ſit omnino) contra officium certè, immo & contra ius fiet, inimicè ſiquid (vt dixi) fiet. Videat legatus præterea, ne dum fidem ſummam, diligentiamque in rebus domini præſtare contendit, aut minus commodū aliquid, aut honorificū minus principi curet. Nam Quinctius (ſi ijs non credimus, qui mandatum Senatus fuiſſe dicunt) pro Romani populi maieſtate indigniſſimè egit, apud Pruſiam legatus, de Annibalis nece. Et Victor quidam, Vrbiciuſq; libro trigeſimo ab Ammiano, hiſque verbis traducuntur: *Legatio ad Parthum miſſa, vt rex Armeniam non concupiſceret: recta quidem & libera, ni deuiaſſet in eo, quod abſq; mandatis oblatas ſibi regiones in eadem Armenia ſuſcepit exiguas*. At id non cōtra officium modò actum ab his legatis eſt, qui fidem iſtam, & ſollicitudinem intempeſtiuam eſſe non iudicarunt: ſed in ius etiam legationis peccatum. nam hoſtilis ea ſuſceptio fuit. & in itu, redituq; legatus muneris ſui meminiſſe debet. An duplex admiſiſſent hoc facinus, ſi iura legationis calluiſſent & hiſtorias? Clodius ille id ſanè noluit. amicitias ſi inijt quaſdam: id nulla poteſt ratione iuſta reprehendi. Hæc habui, quæ de fide prudentis legati notarem. Scio autem lucida ex ipſis dogmata ſtare: quare, ea vt ego explicatiora faciam, non laboro.

Pla. in Phile. Xenop lib. 4. de fac. Socr.

Plut. Liu. lib. 39. App. de be. Syr.

CAP.

CAP. XVIII.

De prudentia Legatorum & fortitudine.

SEQVENS tractatio eſt & de prudentia legatorum & fortitudine. In qua illud primò monendum venit, vt qui aduerſùs omnem vim, omnemque euentum pectus imperterritum nõ gerit, is ſaltem cognoſcat hoc, & non ſuſcipiat legationem: imiteturque Ciceronem magis quã Demoſthenem. Ille iſta ratione legationem ad Antonium prudenter depræcatus eſt, & refugit. iſte imprudenter egit, qui ad Alexandrum deſtinatus, & vſque in aliquam viæ partem progreſſus, dum ſubinde regis impotẽtem iram reformidat, deſerta legatione retroceſſit. Legatione ſuſcepta, conſideret legatus mox, quando vtendum fortitudine eſt, quandóue tempori cedendum fuerit. Fortis fuit Popilius, prudenſque, qui nullam omnino moram ſibi ab Antioco fieri paſſus eſt. nam impubes Ægypti rex, pro quo Romanus legationem agebat, nullam ſaluti ſuæ moram non pernicioſam poterat ſuſtinere. Recolamus quid Maſaniſſæ nepoti acciderit, quòd legati Romani iuſta acerbitate cum Iugurta non egerint cauſſam adoleſcentis, & ſuam legationem. Itaque Polybio adſentiendum non eſt, qui graue & ſuperbũ vult hoc Popilij factum fuiſſe. Ecqui iſti reges erant, quos & cum imperio alloqui legatus populi Romani non poſſet? De Annibale, qui eodem modo, quo illi reges, Romanis parebat, dixit conſul, eum & vectigalem, & ſtipendiarium, & populi Romani ſeruum eſſe. aſtipulatur autem & Cic. lib. 4. in Verr. vbi ſeruos pariter iſtos appellat. Etiámne opinabimur, loquacem & temerarium (ſic nominat Polybius) grammaticum Iſocratem rectè dixiſſe, factum ſuperbè & per impudentem licentiam, quod alij legati Romanorum ex lege fœderum naues exuſſiſſent, occidiſſentque elephantos Antioco Eupatori: & Octauium propterea principem legationis iuſtè a latrone cæſum Laodiceæ? Si iuſtè agitur, ſi pro auctoritate mittentis agitur, ſi agitur prudenter; an nõ agitur fortiter? At iuſtè, & pro auctoritate, & prudenter iſti Romani. Sed etſi inferiores ſunt longè, qui mittunt legationem ijs, ad quos mit-

Philip. 12. *Plut.* *Sal. de be. Iug.* *In Select.* *Liu lib. 21.* *In Select.* *Ap. de be. Syr.*

titur, poterit tamen legatus forti quadam elatione vti, ſi magnanimi ſint illi, quibus exponetur legatio. Ecce, cum Romani nihil moderati, æquique Cartaginenſibus legatis reſpondiſſent, Anno vnus legatorum dum liberè multa, & apertè in Romanos dicit, concluditque orationem ita: Niſi pacem nobis dare vultis, Sardiniam & Siciliam reddite; quibus non ad tempus aliquod, ſed æternam a vobis emimus amicitiam: verecundiores, & æquiores Romanos effecit. Præclarè & legatus Priuernatum, cuius libro octauo Liuius meminit, in duriori adhuc patriæ conditione. Adi, lege illam hiſtoriam. Liuio adſentiri caueas, qui Priuernatis ferociam non admodum probat: nam & rectè proceſſit legatio; & de Romanis vera monuit Conſul: habetque ſimilia planè Diodorus. inquit: *Romani etiam hoſtes a virtute magnanimos, & victoriæ cupidos diligunt.* Exempla in id plura non deſunt. & ait in fine libri primi de Inuentione Cicero: *Sæpe virtus & magnificētia, in quo grauitas, & auctoritas eſt, plus proficit ad miſericordiam commouendam, quàm humilitas & obſecratio.* Ceterùm oportet animaduertere, vt alia non repugnent. nam ferocia Ætolis obfuit legatis Romæ. Arrogantes hi, perfidique in populum Romanum fuere. itaque ferociter agendum victis non erat: cum altera Romanorum virtus in debellando ſuperbos conſiſteret. Sic prudentiùs Cartaginenſes more adorantium adeunt Scipionem. Sic imprudenter Spartani, qui a Gelone aliquando auxilia petentes agūt tamen cum tyranno inſolentiſſimè. quæ eſt ab Herodoto ſcripta hiſtoria libro ſexto. Cauendū, ne quid nimis. Cymbros enim legatos nō fortes, ſed feros & ſtolidos dixerim, qui cum victa ea gēs eſſet, & in anguſtias redacta a Mario, huic tamē minitabātur. Nec enim probris inceſſere, ſed orare neceſſe eſt, & præcibus, non criminibus placare id, quod eſt potentius. Quorum legatorum non ferociter agentium, ſed demiſſiſſimè etiam ſupplicantium plura occurrunt exempla, & dicta a nobis ſunt, quàm vt vel vnum hîc præterea proferatur. At id ſanè reticendum non eſt, quod a legato Veneto noſtrorum auorum memoria geſtum eſt. Armis totius Europæ Veneti præmebantur, cum pro regulo Mantuano apud iſtos captiuo ſic verba Baiazethes Turcarum Imperator cum eo legato fecit, & nullam omnino admitteret excuſationē, quin promitteret

Dio in Select. *In Select.* *Liu. lib. 30.* *Plut.*

mitteret legatus ſibi, futurum prorſus, vt regulus liberaretur. nec enim legato auſcultabat barbarus referenti, rem haud ſuæ poteſtatis eſſe; & ſe tamen ſpondere audere, Venetam remp. Imperatoris petitioni facilè, ac libẽter aſſenſuram. Acerbitate igitur, & iniuſtitia hominis perculſus ipſe id legatus promiſit, quod nec potuit, nec, ſi rem conſideres ſimpliciter, ſpectesque, debuit polliceri. Verùm alieno illo, peſſimóque reip. tempore fortiſſimi legati fuit fortitudinem obliuiſci totam, & cauta magis, quàm elata conſilia ſequi. Idq; virorum prudentiſſimorum teſtimonio probatum eſt. *Guicc. lib. 5.* Æſchines verò generaliter inquit: *Temporibus accommodare ſe publicè & priuatim omnes neceſſe habent.* Hoc capite dicendum de iuniore illo legato eſſet, qui iuſſu Teucæ reginæ obtruncatus fuit: libro enim ſecundo Polybius, quòd ei ſuorum latrocinia ex regijs conſuetudinibus excuſanti, comprobantique legatus, Dabimus, dixerit operam, vt non longè poſt regias iſtas conſuetudines emendare cogaris; magnanimum quidem reſponſum, ſed non ſatis pro tempore dictum ſcribit. De illis Romanis videndum foret, quorum parrheſiam tuliſſe egerrimè Cartaginenſes, idem auctor nobis recenſet. *Lib. 15.* Diſceptare de alijs oporteret. Sed & alibi hãc partem executi ſumus; & ex hîc dictis, prudentiam immo neque in iuuene illo rectè deſiderari, liquidò liquet. Magis igitur illud dicamus, quod a paratis præcibus decurrendum aliquando ad hãc animi ferociam legato eſt. vt oſtendit Veturia Coriolani mater: & relatum a Liuio eſt. Et is fortè poteſt caſus vnus eſſe, in quo vel *Lib. 2.* a certo mandato reſilire legatis liceat: quando ſcilicet rem aliter inuenit legatus, atque creditum fuerat, cùm mitteretur: aut ſe ſanè habuerit res aliter ſed mutata ſub aduẽtum legati ſit. Nouis enim rebus noua conſilia aptanda ſunt. Dogmati certè alterum quoque adſtipulatur exemplum, quod de Luculli legatis ad Parthum miſſis Plutarcus habet. & alterum, quod habet Xenophon lib. 4. re. Græc. de Bœotijs ad Ageſilaum. Atq; quod de præcibus in indignationem vertendis diximus: idem & contra valet. eadem quippe eſt diſciplina contrariorum. idem in omni alio immutando mandato obtinet. Si etenim nullum eſſet in mora periculum: quin legatus non poſſit ad principem ſuum reſcribere, eumque monere de his, quæ ſibi videntur contra eius mandatum, ego non video.

CAP. XIX.
De aſſerenda legationis dignitate.

NEc verò in magnis ſolùm, ſed & in omni re magnum, dignumque gerere animum legatos volo; nec, vt tantillum de ſua dignitate vllo modo imminuatur, pati. En quidam legati Germanorum aduertentes cultu externo quoſdam in ſedibus Senatorum Romæ; & quinam forēt rogitantes, poſtquam audiſſent, earum gentium legatis id honoris datum, quæ virtute, & amicitia Romana præcellerent, nullos mortalium armis, aut fide ante Germanos eſſe exclamant, digrediunturque, & inter patres conſidūt. Et hoc quidem eſt, in quod valdè, rectéque incumbere legati ſolent, ne alijs ſupra ſe locum digniorem eſſe, ſi non poſtulet ratio, patiantur: aut quid huiuſmodi fieri. nam videmus Martium noluiſſe tranſire amnem; & ratione, iocoque ad ſe Perſeum pellexiſſe *Minor*, inquit, *ad maiorem, & filius* (Perſei pater Philippus, quod cognomen Martio fuerat) *ad patrem tranſeat*. Orobazum videmus regis Parthorum legatum necari a rege, quoniam Syllæ imperatori Romano nobiliorem in conſeſſu ſellam conceſſerit. Videmus Demagoram mulctatum Athenis, quia Perſarum regi more gentis cultum exhibuiſſet: & Demadem quoq;, qui Alexandro ſimiles honores, Græcis auerſos, præſtitiſſet. Quid agendum? Venetus legatus clauo ſenſit capiti affixum pileum, qui Moſcho Duci id honoris non detulit, vt ipſi aperiret caput. ego pilei geſtādi conſuetudinem potiùs ſinerem longé ante, quàm, ſi de ſummo iure nihil remittendum cenſerem, in hæc mala me, principemque meum conijcerem. Prudenti legato conſilia minimè deeſſe poſſunt, quibus ſe ab iſtiuſmodi omnibus expedire queat. Alter, quo Perſicam adorationem non exhiberet, accuſari tamen non valeret de non exhibita, dimiſit e manibus neſcio quid, quod vt reciperet, ſe flexit, atque ita barbaris viſus eſt, morem ipſorum tenuiſſe. Aliquando etiam dignitas iſthæc facienda non tanti eſt, quin non ſit curæ (id pro ſua prudentia metietur legatus) recta ratio magis, qua legatio perficitur expeditiùs. Sic fortè legatus Theodoſij non malè ex equo deſcendit regi Perſæ obuius factus. nam & obſtu-

Tac. lib. 15.
Liu. lib. 42.
Plut.
Val. lib. 6. cap. 3.
Athæn. lib. 6.
Sigis. in his. Muſc.
Proc. lib. 1. de be. Perſ.

puit ad tantum honorẽ barbarus, & legato petita indulſit. Quod tamen alij Romani legati adſentando, & demulcendo Coſroem item Perſarum regem poſtulata confecerint, minimè ex dignitate Romana egiſſe notati ſunt. Illud igitur confirmat certè, quod monui, quod legatus itidem Romanus in Ætolorum concilio dicere primum Athenienſem legatum voluit, quia immania Philippi hic erat explicaturus; vnde inflammari Ætoli ad bellum poterant, quod volebat Romanus. Sed quid ſi per principem, apud quẽ eſt, legatus non poteſt dignitatem ſuam retinere? Quid facto opus ſit, principem conſulat ſuum. interim ſe ſic contineat, vt vitet, quãtum poteſt, omnem indignitatem. & quidem ſi nequibit effugere, quominus contumeliam aliquam tulerit; id ſciat primùm, grauiſſimam omnem iniuriam eſſe nullam penitus, quod attinet ad perſonam propriam. atque tantùm docuit Zeno, qui rogatus, contumelias quemadmodum ferret, Quomodo legatus, qui ſine reſpõſo dimittitur, dixit: & leuiſſimum iniuriæ genus nominãs, & quod legati perſonam omnino nihil attingeret, ſed tantùm legationem Et idem in omni iniuria eſt. Ego ita Zenonem accipio ex ſuæ ſectæ inſtituto. Pelagius tamen ad Totilam legatus aliter ſentire viſus eſt, dum ait: Iniuria legato fit, non tantùm ſi vapulet, ſed & ſi re infecta dimittantur. Ceterùm huius ego dicta magis deduxerim ad Zenonis ſententiam. Atque hîc illud facit, quod reſponſum ab altero legato eſt. rogatus, vtrum publicè, an priuatim adeſſet: *Publicè*, reſpõdit, *ſi quod volumus adipiſcimur, ſin minus, priuatim*, oſtẽdens, non ei iniuriam iſtam fieri, qui agit legationem, ſed omnino ei, cuius nomine agitur. atque is piè contumeliam in ſe omnem cadere voluit. Quemadmodum deinde in contumelia vel vindicãda, vel ferẽda ſe gerat, arbitrij ſui non eſt, ſed ſui principis. Et hinc laudatur Tarentum ab vrbe legatio miſſa, quæ ſordibus illic reperſa, nihil de re iſta dicitur quæſta, at mandatum tantùm expoſuiſſe. Nam ſi legati iniuria non eſt, quid eam legatus proſequitur, aut mittit? ignarus penitus quatenus ad animum ſuum illam princeps, cui facta eſt, reuocet. Ait tamen in Selectis Appianus, reſperſum in theatro vrina legatum Romanum non ſine plauſu multitudinis, vtque barbarum loco eiectũ, magnanima hæc protuliſſe verba: *Accipio omen; plura enim datis, quàm petimus: & veſtem hãc*

Liu. lib. 35.

Diog.

Proc. lib. 3. de be. Go.

Plut. in Lycur

Val. lib. 2. c. 2

ſanguine lauetis. nunc gaudete, Tarentini, breuiter; nam longùm lugebitis. Ceterùm non aduerſantur iſta prioribus, & definitioni noſtræ. Et hanc animi præſtantiam in legato ipſe quoque requiro: verùm illud dico, non ſpectare ad legatum mox, quomodo iniuriam perſequatur. Aſt tempus iam, vt ad temperantiæ etiam repedemus tractatum.

CAP. XX.

De prudentia legatorum, & temperantia.

DE temperantia orationem reſumentes, vetus hîc prouerbium cenſeo tenendum, quod de muneribus accipiendis eſt. *Neque omnia, neque paſſim, neque ab omnibus. nam* (vt Seuerus, & Antoninus Auguſti elegãtiſſimè complexi ſunt) *valde inhumanum eſt, a nemine accipere: ſed paſſim, viliſſimum eſt: & omnia, auariſſimum*. Ego hoc loco de muneribus pleraque omnia dico, quòd nihil aut occurrat frequentiùs, quàm de corruptis munere aliquo legatis ſermo, aut faciliùs obrepat & officium iſta in parte legatorum contaminet, quàm ſi animus ipſorum intemperans ad munera factus eſt. Nec enim vt in reliquis voluptatibus fit, dici res improba poteſt donorum acceptio, ſi in liberalitatis partẽ vocatur: & propterea decipere apta eſt maximè. Ea accipere non debet legatus munera, quæ propterea dantur, vt corrumpatur. & accipere a Pyrrho Fabritius noluit. non enim honoris gratia a rege delata (quidquid atteſtetur Plutarcus) ſunt: ſed mercandi gratia Romanam beneuolentiam, & ſceleris ergô. vt Liuius, Valerius, alij rectiùs tradunt. Dona iſthæc doloſa prudens legatus facilè agnouerit; agnouerunt Thæbei illi, alijque, quorum capite decimotertio fecimus mentionem: temperans refutabit, ijdemq; refutarunt. *Ab impuro capere munera neq; bonum virum neque Deum decet*, Quæ honoris & beneuolentiæ cauſſa dantur, ea aſpernanda non ſunt. quod res ipſa docet; & probatiſſima exempla confirmant. Sic videlicet Pelopidas legatus apud Artaxerſem dona ea tantùm, dimiſſis reliquis, accepit, quæ eiuſcemodi erant. idem & legatus Luculli apud Tigranem Clodius. Immo quędam munera ſunt, quæ velle legati debent, tantùm abeſt

L. 3. D. de off. procons.

Eth. lib. 4.

L. lib. 13. 35. V. lib 4 c. 3. Vict. de vi. illus.

abeſt, vt nolle debeant. Iſta ſunt ordinaria quædam. Sunt, quæ legatis diſcedentibus dari conſueuerunt. Atque Germani (quod habet Tacitus) hæc oſtentare etiam ſolebant. & maximè indignabantur, ſi quando conſecuti non fuerant. vt additum ab Ammiano eſt. Non eſt hîc a corruptione periculum: nam res ferè debita ſoluitur, vt propter ipſam nulla legatus obligatione muneratori obſtringatur. Si in commodum quoque reip. ſuæ oblata munera velit legatus ab munifico principe verti, laudabile proculdubio facinus faciet. nam id iactitat ſe feciſſe apud Philippum Demoſthenes. Aliæ etiam cauſſæ eſſe poſſunt, propter quas legati munera non refutent. Sed præceptis moralibus eruditus legatus noſter, & benè ab hiſtorijs inſtructus quid operam noſtram exigit longiorem? Initiandus quaſi a nobis erat; quod fecimus: relinquendus mox ingenio, iudicio, ſapientiæ, virtutibus ſuis eſt: & ſtatim relinquetur. Plura quoque, quàm offerantur, ſi dono ſibi legatus deſumat, id poteſt aliquando elegantis hominis factum eſſe. & exemplum in Plutarco eſt. Miſſas ad legatum Athenienſem ſtolas duas commemorat, vt vnam, quam vellet, filiæ donum acciperet; illum verò vtramque ſumpſiſſe ſub hoc elogium: *Filia eliget meliùs*. Hîc tamen præter quàm quod videndum eſt, ne pretia rerum arguant auaritiam accipientis, debet & illud inſpici, ſi gratius donatori factum continget. quod cum liberali, amico, & verecundo, ſubuerenti plura offerre, eueniet. Ac ſatis de muneribus. Aliud quid? Si ſordidus alibi legatus ſit, temperaſſe ſibi a muneribus accipiendis non eſt ſatis. Liberalitas, quo eſt nomine minus vir princeps laudandus, ita ſi legato viro principi abſit, infamem eum penitus, prorſuſque reddit. non enim acquiſititium quid id eſt in ſupremis viris, ſed inſititium, propriumque. atque hoc qui illorum caret, eſſe illorum non poteſt. Et hîc tamen aduertere prudenter oportet, ne dum timet legatus auari ac ſordidi nomen, non dico, prodigus fiat; talis enim perſona fieri prodiga nequit: ſed ne in legationem, & ius eius per nummorum contemptum malè aliquid admittat. Caſum petis? Do ex hiſtoria exemplum luculentiſſimum. Miſſi Romam ab Ætolis legati intercipiuntur in itinere a Romanorum ſocijs Epirotis. Fit illis copia rediinendi ſe, ſi ſinguli talenta exſoluiſſent quinque: mox & ſi

De mo. Ger.

Lib. 16.

In Lyſan.

tria; paupertatem ſcilicet cauſſantibus. hæc omnes ſoluerunt; atque adeo dimiſſi ſunt, vno, qui ſolus ditiſſimus erat, & quidquam præſtare renuerat, excepto. tanta (inquit Polybius) in eo vis auaritiæ inerat, vt tabe potiùs confici, quàm tantula pecunia lui vellet. Certè ſi reſpectum pecuniarum præ ſe tulit; in eo ſordidus: at ſi ius legationis inuocabat, prudenter egit. & ſubdit quidem Polybius, magnæ fuiſſe laudi hanc rem homini; quoniam litteræ allatæ mox Roma ſunt, quæ legatos dimitti imperabant. & dimiſſus hic eſt; & ſolus functus legatione eſt. Cetera iam præſentis virtutis petēda a philoſophis ſunt. Ego ea dixi, quæ legationibus maximè accidunt. Niſi ad relatam modò hiſtoriam omittendum non eſt, quod ſi legationis occaſio per moras conſeruandi iura illius corrumperetur, ferendum potiùs ſit, eripi ius legationis ſibi, quàm legationem totam perire. & id quidem exploratum eſt, nec neceſſe habet, vt argumentis probetur. Sordes alias, quæ manifeſtò ſordes ſunt, legato quid narrem, & fugiendas proponam? Quis eſt non prorſus ſordidus homo, qui facinus ſordidiſſimum non ſentiat, quod tres, & quidem viri patricij, Florentini legati non admodum pridem egerunt? Ad Carolum V. & Clemētem VII. proficiſcentes Bononiam merces ſecum eò aliquas devehebant, quas a vectigalibus immunes, vt legatorum ſupellectilem, in vrbem inducerēt. ſed res ſcrutati publicani, & indecoram legatorum fallaciam deprehenderunt, & patefacientes, riſum Imperatori, bilem Papæ Florentino ciui commouerunt. Ipſi legati inauditi dimiſſi ſunt cum infamia. Hæc, ſimiliaq; quis non norit? quis, vt a nobis præmonſtrentur, requirit? Claudo iſtum tractatū cum ea Platonis ſententia, *Et dicere, & facere ea, quæ decent, ad ſobrium & prudentem hominem tantùm pertinet.* eſt in Timæo. Ad id, quod de prudentia reſtat dicendum, pergo.

In Select. *Iou. lib. 28.*

CAP. XXI.
De prudentis Legati rationibus.

PRVDENTIA legati (quantum quidē mihi videtur) vel in conſilijs excipiendis eſt, notandiſq; actionibus aliorū, vel in explicandis proprijs, rectéq; componendis verſatur. Ad aliena quod attinet, ſiue ea cōſilia ſint ad ſe delata, ſiue ſint actio-

actiones negotijs ſuis coniunctæ, duo legatus, ne fallatur, diligēter conſiderabit, perſonā conſulentem, agentem, & quod conſulitur, agitur. Auctorem enim intueri ſolum (quod tamen fit) leue eſt, & periculi plenum. ac rurſus, nihil niſi rem æſtimare, quid erit aliud, quàm delectum tollere perſonarum? & dignis æquè atq; indignis fidei teſtimoniū communicare? Auctori vni attēdere, quàm leue ſit, Liuius ibi oſtendit, dum Accio Tullio Volſco ſic creditum a Romanis memorat, vt hi per ſummam contumeliam ex vrbe Volſcos eiecerint. Qua ex re concitatum illud bellum fuit, quo, ni fortuna muliebris obſtitiſſet, Romanum potuit nomen, imperiumque ſuccumbere. Et leue igitur fuit in auctorem tantùm oculos defixiſſe, & pernicioſum. Sed & quòd auctoris humilitatem, & propter eum monita quoque Deorum mox ijdem ſpreuiſſent, an non captam a Gallis vrbem ſenſere? Si Pythius Apollo illis eiſdem Romanis non accurriſſet, qui leuem, nec ſatis fidum auctorem cenſuere vatem Veientem in eo, quod vnicum erat remedium expugnandi Veios, an potiti ciuitatem hanc nobiliſſimam vmquam fuiſſent? Quid pluribus opus eſt? Sapientiſſima Hannonis oratio haud multos Cartagine mouit. nam (inquit Liuius) & ſimultas cum familia Barchina (contra Annibalem Barcham loquebatur) leuiorem auctorem faciebat. Perijt Cartago. Ego in perſona conſulentis & vitam omnem anteactam attendendam exiſtimo, & magis quæ ipſius in re præſenti mens eſſe poſſit, ac veriſimiliter fiet. Generalis enim illa prior coniectura non adeo certa eſt, vt hæc poſterior, quæ ipſi agendæ rei coheret. Ergo quòd vir probus, innocenſque habitus is ſit, cui præſtamus aures: ſi tamen ſingularis ſubeſt ratio, ne in præſentia fidamus: viro huic prudens legatus non credet. Nam certum illud eſt a malis nec poſſe, nec ſolere nobis imponi, ſed tantùm ab ijs, quibus fidendum eſſe exiſtimamus. nec verò, niſi bonæ famæ hominibus dari iſtud oportere, cenſemus, aut damus. Et vt bono viro fidem non adhibendam iudico, ſi eius perſona nunc ipſa ſibi deneget fidem: ita hominem improbum, eúmue, cui aliàs non crederetur, ſi in propoſita re talis ſit ipſius perſona, vt a narratis, ſuaſiſque non diſcrepet, ſed conueniat cum illis potiùs, audiendum eſſe opinor. Numidarum gens fallax ſæpè pro-

Lib. 2.

Liu lib. 5.

Lib. 23.

Xenoph. lib. 7. de exp. Cy.

Liu. lib. 25. 26.

miſſi fidem præſtitit hac, quam nos dicimus, occaſione. Maſiniſſa & Numida, & hoſtis Romanorum acerrimus ſumma fide inijt, coluit, retinuit amicitiam Romanam: nam rei qualitas vincebat hominis ingenium: & tutiſſimè ei creditum eſt. Hæc ſunt & legationum præſenti argumento apta. Si enim in legatione fœliciter peracta verteretur etiam ſalus, magnúmue commodum hominis, qui conſilium affert: indignus certè vt hic ſit aliàs omni fide, nunc leuis auctor haberi non poteſt. Aſt in re ipſa, quæ proponitur magis multò eſt. *Numquámne vos res potiùs, quàm auctores ſpectabitis?* Appius plebi aduerſus tribunitiam quandam rogationem clamabat. Res verò & loco, & tempore, & reliquis adiunctis, quæ non modò rem comitantur, ſed variant quoque diuerſimodè, debet diligenter expendi. Res magna neque creditur facilè, neque ſperni ſolet. ſi maior ſit, quàm ipſius auctores, & horum opera peragenda eſt, prudentiùs ſpernitur, quàm arripitur. Et in huiuſmodi caſu Annibal poſtquam dubitarit diu, fideritque, & diffiderit his, qui Capuam ſe ei proditiuros pollicebantur, an, vt tandem crederet, moueri ſapienter potuit ante cladem Cannenſem? Sed quà etiam credidit? Inſpiciendus libro Liuius vigeſimo ſecundo. Quod ſi perſona, réſque vnà ſuadeant conſilium ſuſcipiendum, non hæſitabimus. Verùm ſi aliò nos perſonæ exiſtimatio, aliò exiſtimatio rei ducit: electio difficilis reddita eſt. certior tamen eſt ex re coniectura. rei namque nihil coheret magis, quàm res ipſamet. & ſi coniectura ex perſonis ſumpta illa præfertur, quæ agendæ rei propiùs iungitur: certè coniectura ex re ipſa accepta reliquis omnibus anteponetur. & cognatos, & familiares infidos eſſe æquè ac ignotos poſſe, notat Plato, ſiue quis eſt Demodoci auctor, & rem ipſam præcipuè intuendam, ſi conſilium nobis detur, oſtendit. Martius ille, qui duobus Scipionibus extinctis rem Romanam in Hiſpania reſtituit, quid aliud ad animandos in maximum facinus milites potuit afferre certius, quàm quod dixit: *Nec huius occaſionis ſpem, milites, fortè, temerè, ſed ex re ipſa conceptã habeo.* Difficilis tamen (vt dixi) optio eſt. Nam quid ſi rem viſam, ſenſibus ſubiectam narret legato is, cui fides aliàs præſtaretur: num fidere legatus denegabit, quoniam narratæ rei ratio repugnare videtur? At res plures & præter

opinio-

Marginal notes: *Liu. lib. 6.* (beside "potiùs, quàm auctores"); *Liu. lib. 37.* (beside "Res magna"); *Liu. lib. 25.* (beside "afferre certius")

opinionem,& præter rationem omnem accidere ſolent. nam vt multa hominibus credibilia ſunt,quæ ſunt falſa:ita multa, quamuis ſint incredibilia,vera tamen eſſe,decet exiſtimare: vt Ariſtoteles libro ſecundo Rhetoricorum ait.Id ſemper legato ſuaſerim,ne ſic fidat vmquam, vt non putet & aduerſùs omnem benè iactam ſententiam cedere rem poſſe: vtque malo huic non ſtudeat paratum,prõptum habere auxilium, quod poteſt melius. Nihil enim adeo certum eſt, quod non fruſtrari nos queat: turpe autem ſemper illud,*Non putaram. Quorum ego*(dicebat Scipio)*fidei ita innitor,vt veriturus perfidiam ſim.* Dicebat de Syphace, ac Maſaniſſa. Habet iam & alienarum actionum dijudicatio non diſſimilem rationem.Tenenda hîc tamen præcipuè ſententia Liuij eſt: *Fraus fidem in paruis ſibi præſtituit,vt,cùm operæ precium ſit, cum mercede magna fallat.*Omni ſtandum facto non eſt. Quid rurſus indicem deceptorum legatorum hiſtorias?Addo,inanibus colloquijs fruſtratos a Cæſare legatos Pharnacis ipſos imperatori Romano expeditiſſimam adtuliſſe victoriam illam de rege ſuo, quæ tribus eſt præſcripta verbis. Legatos Athenienſium a Lyſandro deluſos notat lib.2.rer.Græc.Xenophon:& inde Athenarum ſeruitutem Quod autem eſt, ſi quis vel legatos audire procraſtinetur, aut eis reſponſum dare,vel fruſtretur aliàs:idem & in reſponſo, aut quo alio facto ambiguo eſt. Quid enim ambiguum a nullo diſtat? Egregiè igitur Fabius Æquis ambiguè reſpondẽtibus talem ſe prębuit, ac ſi iniquè reſpondiſſent. & ille eiuſdem gentis cum tergiuerſiſſantes Pœnos in re petita videret, indigna, quam illi proponebant,diſceptatione refutata,bellum eis extemplo indixit. Egregium exemplum:quo legatus inſtruitur,& indecoras loco, quem tenet,altercationes,& inexpedita reſpõſa,alia refutare. Illi ab iſtis cunctationibus bellè ſe vindicarunt,quibus mora iniecta cum iugiter eſſet, ne regem alloqui poſſent, & huius inualetudo ſemper obtenſa:*At locuturi*,hi retulere,*venimus non luctaturi.*Ageſilai regis aſtum vt aſtu ſuperarint legati Thebanorum, Plutarcus docet.ego non recenſeo:neque alia,quæ huc adduci valerent. Dixi ſatis multa. Et quod reſtat de proprijs conſilijs a legato explicandis,& proprijs actionibus componendis,exponi ipſum poteſt ex ijs, quæ dicta latè ſunt tota hac vltima iſtius uoluminis parte. Il-

Liu.lib.28.
eo.
App.lib.2.de be.ciu.
Diony.lib.9.
Polyb.lib.3.

Pla. in Phædro. lud hic eſt caput,principiumque,vt id,de quo cõſilium initur, benè intelligamus,vel omnino neceſſe eſt,deliberãtes prorſus aberrare. Achaicus ille quantum erratũ admiſit, quòd legatus ad Ptolomæum, vt cum eo rege fœdera quædam confirmaret, nec diſpexerit in fęderum varietate,quæ illa eſſent,de quibus confirmandis mandatum acceperat,atque omnia adeo confirmarit:quãtum, inquam,erratum iſte admiſerit, & noſſe omnes valemus,& recitat in Selectis Polybius. Turpe erratum. Nec tamen & errata alia non ſunt,etſi adeo turpia, craſſáque non ſint. Intelligenda autem non generalia modò,ſed & ſingularia ſunt. Cauendum maximè ab imperitorum medicorũ vitio, immo (vt in Phædro dicit Plato) ab amentia :qui ſcilicet quum ex quodam medicorum libro aliquando quidpiam audierint, & medicamentorum nõnullorum vſum temerè didicerint,medicandi tamen viam, rationemq; nequaquam intelligant,ſe medicos euaſiſſe arbitrantur. Vir prudens & legatus noſter cognoſcere præterea debet,quibus,quando,quatenus hoc,illudue conſilium fuerit adhibendum:ſiue habeat ex ſe conſilium, ſiue petitum ex hiſtorijs eſt. Sic enim fiet, vt alterum quoque vitium vitemus, quod puerorum appellat libro decimo de rep. Plato. Inquit: *De his rebus,quæ acciderunt, conſilium ineundum eſt,& tamquam in talorum iactu, prout fors cecidit,ita res cõponendæ quomodocunque ratio rem meliùs, oportuniúsue futuram edixerit:non verò,ſicut ſolent pueri, inhærendum eſt ei rei, ad quam impegeris.* Et id tamen,quod de mutandis conſilijs dicitur,non ſic eſt accipiendum, vt ſi quid non ex animi ſententia ceſſerit, confeſtim a ſuſcepta deliberatione diſcedẽdum opinemur: immo tamquam in naui moderari nos oportet, quouſque aura ſequundior flare incipiat.id enim ſi non fecerimus,quo pacto vmquam, quò tenditur,poterimus peruenire,ſi re quapiam leui impediente,ilico

Xenoph.lib.2. re.Græc. in contrarium volumus nauigare? Quæ Critias vnus triginta tyrannorum Athenienſium prudenter diſſeruit. Magna,& difficilis ad docendum hæc pars eſt. dixiſſe nos tamen aliquid,opinamur. Omnia verò proſequi velle,& operis immenſi foret,&,quemadmodum in Hipparchico ſcribit Xenophon,mandare litteris,quæ facienda ſunt omnia,non magis facile eſt,quàm omnia futura ſcire. Genera quædam attigimus,& ſumma quaſi capita rerũ : a quibus

bus non leuiſſimam ſpecierum cognitionem legatus (arbitror) potis fuerit deriuare. Tamen res ipſæ, quæ conſilia magis dant ho minibus, quàm homines rebus, virum prudẽtem rectius in legatione tota inſtruent. Quoniam verò nec quiſquam eſt, qui ſapiat ſemper, & fidis, prudentibuſque conſiliarijs, niſi Deum (vt doctiſſimè libro octauo exprimit Dionyſius) fingas, aliquando non indigeat; ac illud veriſſimum ſit, oculos quàm oculũ videre magis: ſuadeo ſanè, vt legatus noſter comites ſibi præſtantes viros adſciſcat, quorum in arduis negotijs vti opera poſſit. Exempla ſummorum omnium virorum, qui id fecere, non commemorabo. vnum Scipionis ſat fuerit. Hic, dum nobiliſſimam obit ad reges legationem, Lælium illum ſapientem habuit ſecum, ſiue (vt tradit Cicero) Panætium. Ceterùm pigro, & inerti ſæculo hoc noſtro legati hanc partem (at quam plerique?) curare minimè ſolent, Nec tantum ſapientes, doctoſque in comitatu ſuo viros legatus ducet, ſed & qui grati eo loci eſſe valent, vbi peragenda legatio eſt. quod ſcilicet probato exemplo Dinocratis Meſſenij (habet in ſelectis Polybius) fiet. Ac quidem, vt in ſumma dicam, tales adeſſe ſibi comites, legatus ſtudeat, qui vel ſinguli legatione defungi quirent non minus, quám de exercitu Fabiorum ſcriptum eſt, vnumquemque in eo militem potuiſſe partes imperatoris obire.

Liu. lib. 22.

Vict. in vi. ill.
C. in Luc.

Liu. l. b. 2.

CAP. XXII.
De perfecto legato.

HAEc mihi eſſe omnia videntur, quæ perfectum conſtituere legatum poſſunt. Nametſi ſingillatim niſi de quibuſdam virtutibus diximus: eæ tamen illæ ſunt, quæ ducunt, tamquam familias ſuas, cæteras omnes. Perfectus legatus, qui negotia & officia demandata, aut quæ ipſe ſibi incumbere nouit, aptè conficere valet. Cuius itaque generis legatus ſit, teneat oportet: ne alteram perſonam pro altera induat. Conſuetudines, moréſq; indutæ perſonæ & ſeruet ipſe ſemper, & ſeruari ſibi proſpiciat. Iura legationum quanta, qualiaque ſint, ſic didicerit, vt in numerato penitus habeat, ac retineri ſanctiſſimè, religioſiſſiméque velit. Splendore circa ipſum

apparatus,comitumque pro eius, qui miſit,dignitate ornatum, & honeſtis ortum natalibus, & nunc loco agẽtem honeſto eum eſſe oportet. Valere etenim nobilitatem,quam etiam Cicero blandam conciliatriculam dicit,non parum,rationi conſentaneum eſt. Apta quoque in rem præſentem ſi alia adſint fortunæ,naturæque bona, pluribus exemplis commoda commonſtrauimus. Quanta erit in ingenio vis? Quanta in ſermonis, & actionum comitate? Magno hîc opus ingenio eſt. nihil enim videtur difficilius, quam grauitati facilitatem morum,res ſcilicet longiſſimè diſtantes, adiungere. Neque ſanè cuiuſuis eſt,in comitate dignitatem retinere, ſed eius tantùm viri, qui ſummis præditus virtutibus eſt, quique magis atque magis æſtimari, quo cognoſcitur magis, ſolet. Inertes barba(quod alicubi peritiſſimus Galenus notat)ad pectus promiſſa, ceteraque mirè tetrici grauitatis conſequi nomen conantur,ad alteram virtutem aſpirare non poſſunt. quia ſi explorari ſe ſinerent, ab omni prorſus caderent bona (nam multos ea ſpecie fallunt) opinione, quam de ipſis homines habent. Et alter tamen vir egregius in iſtis virtutibus coniungendis negligens eſſe non poteſt; ſed quæ prudentiſſimi in propoſito docuere, ea diligenter ſeruabit. neutra carere legatus poteſt. nam principali perſonæ grauitatem debet: & hæc ſine comitate facilè ſolitudinem legato pariet: qui ſcilicet nunc cum ſuis non viuit. Qui verò(vt optamus) apud legatum erit in ſolitudine ſplendor? Gratia, quæ omnes humanas actiones (Dionyſio præclarè docente libro octauo) exornat, deſiderari in legato noſtro haud debet. Nec debet legatus adeo principalis perſonæ meminiſſe,quin non recogitet etiam clariſſimos viros,principesque,qui ſumma ex comitate ſic ſummam conſecuti ſunt laudem, vt ad reliquam gloriam nihil iſtam obfuiſſe ipſis lenitatem,ſed multum quoque profuiſſe, non dubitetur. Suam etiam perſonam legatus intuebitur,quam quidem vt tectam quodammodo habeat,non habet tamen extinctam: itaque exerat ſe & iſta aliquando, neceſſe eſt. Sed & ſi exempla requirat, exemplis profectò res non carebit laudatiſſimis. atque ego illud vnum in memoriam reuocabo, quod Spartanis oratoribus accidiſſe Athenis,& Cicero,& alij litteris conſignarunt. Illi Athenis cum in theatro ad ſpectacula ſederent, ſenem, a nullo ſuorum ciuium receptum

In ora. pro P. Sex.

Cic. in orat.

Lib. 2. de pulſſ. diff.

Pla. ep. 4.

C. de ſenec. Val. lib. 4.

ceptum conſurgentes, & in ſuo loco ſuſceperunt, & a cuncto conſeſſu plauſum multiplicem ipſi propterea exceperunt. Ea, quæ de duabus Macedonicis legationibus referuntur, etſi hinc non longiſſimè abeant, iuuat tamen, aliud ſi documentum legato præſtant. quod eſt, vt hæc etiam facere legatus ſciat, quæ mandata ſibi non ſunt, nec etiam rectà ſpectant legationem, ſed tamen & ipſi legato, & principi ſuo eſſe, ſi fiant, vtilia queunt. Hoc indicat & Taſſus præceptum, vt legatus omni ſtudio, omnique opera amicis ſui principis ſemper adſit. Et ita actum ab Macedonibus eſt. nam in funus P. Æmilij viri & clariſſimi, & de Macedonia benè meriti, incidentes, funebri lecto ſponte ſe ſubiecerunt. Altera legatio quid egerit, audi Ciceronem pro Plancio. *Miſſi ob aliam cauſſam, tamen huius repentino periculo commoti, huic adſident: huic ſi præſto fuerint, gratius ciuitatibus ſuis facturos ſperant, quàm ſi legationem, & mandata ſua confecerint.* His documentis & ea, quæ pluris ſunt, addere oportet. Dicere non quidem de omnibus poſſe, ſed de his ſanè legatus benè debet, quæ ſub artem politicã, & ciuilem cadunt. Loquetur autem philoſophica magis, quàm oratoria oratione. Sed hæc patria illi ſit, apud quem loquitur. Hiſtorijs omnibus curam magnam impendet. Adiunget iuris ciuilis, & probatioris philoſophiæ aliquam cognitionem. Fidem eximiam ſentiet ſe debere, & præſtet: nec vlla vnquam cauillatione a prima hac ſui muneris parte declinet. Scelerata enim facta Metrodori, & Alexæ notauimus. & legati officium eſt non nuncium modo exponere, ſed & illud ſuadere. quod Homerus alicubi indicauit Neptuni voce, & libro octauo de rep. Plato. Egregiam fortitudinem, inſignem temperantiam, prudentiam ſingularem in legato requirimus. Prudentes verò Romanos illos haud fuiſſe, quis opinabitur, qui Dionyſia agentes Tarentinos adierint, quare & turpi illic fuerunt contumelia affecti. quid enim homines temulentos adeas, quibus legationem exponas? Temulentos fuiſſe, non dubitamus. Illi egregium legatis omnibus exemplum præſtant, qui apud Ptolomeum dum eſſent magnificentia ſumma excepti; non iſtud, non ipſis oſtentata gaza, non cetera regia, non ſumptuoſa conuiuia eorum oculos, aut animum detinuere, ſed vrbs, ſed regio, quam diligentiſſimè perluſtrarunt. Sentin',

Val. lib. 2. c. x.

Ilia. 15.

App. Dio in Select. Pla. lib. 1. de legi. Diodor. in Select.

Legate noſter, documentum? Ceterùm quid te pluribus moror? Quid iterum quaſi admoneam, vt hæc humanitatis officia, quæ legatis præſtari ſolent, tu rectè conſideres, ſi quid extra ordinem habent, & id ipſum quid ſiet? Dicam legatos Rhodios in perniciem ciuitatis ſuæ ineptijſſe, qui ingentem ipſis Romæ præſtitam humanitatem referri illuc voluerint, quaſi Rhodios vererentur Romani? Alia huius generis narrem? Scribam, e legationis dignitate non fuiſſe, quod Plinius de legatis Cyprijs narrat? Erat illorum vnus ex ea familia, quam a venenatis non lædi perhibent. itaque a Coſſ. in dolium ſerpentium coniectus experimenti cauſſa. Non, etſi fuerit legatio prouincialis, id ille debuit. niſi enim Græcæ licentiæ hîc aliquid demus, legationis perſonam turpiter habitam, quiſque cognoſcit. Iam dicendi finem aptè cadere opinor. Copioſiùs de Legato (vt arbitror) ſcripſi, quàm ſcripſerit Crates, aut Phalæreus: Taſſi certè teſtimonio latiùs, quàm ab Hermolao factum perhibeatur; &, quod ego ſcio, ab ipſo Taſſo factum eſt. De alijs (non ignoro, alios adhuc in iſto argumento elaboraſſe) dicere, meum non eſt, qui ipſorū libros non legi. Dicēt alij & de re iſthac, & de alijs, quas quidem a me tibi, Legate, pręſtitas deſideraui. Optimi legati formā latiſſimis, ſiue expreſſam, ſiue adumbratam diſputationibus, quantum in me fuit, tradere conatus ſum: & eam minutiori mox iſta tabella, nec tamen ſine emblematū adiectione, reddere ſtudui. At neque priùs te dimitto, quàm, quod Socrates iucundius adhuc exiſtimabat, tibi etiam imaginem iſtam, ſpeciemque viuam perfecti legati exhibeam. ad quam ſcilicet rem nec mihi Zeuſis artificio, nec alterius cuiuſquā, qui quid ſimile ſunt executi, cenſeo opus eſſe: in vno enim viro excellentem hanc formam inueniri, & oſtendi poſſe confido: nam is omnia ſic habet, quæ ad ſummum hunc noſtrum oratorem conſtituendum requiruntur, vt cumulatioria etiam habeat, & ampliora. Is eſt

PHILIPPVS SYDNEIVS.

Poly. in ſelect. *Lib. 27. c. 3.* *Diog.* *Xenoph. in Oecon.* *Cic. lib. 2. de Inu.*

Erratorum Correctio.

Pag.11.lin.1.Tullius.&.lege, Tullius Philipp.12.quique in Vatiniana cùm belli, tum pacis nuncios nominat.&.P.12.l.15.geſſiſſet.Mittuntur.L.geſſiſſet: quamque vetitam Tacitus lib.15.ſcribit.Mittuntur.P.17.l.2.numerum.L.munerum.P.21.l.32.ſuis. L.tuis. P.ea.l.34.Terræ.l.Terra.P.ea in fi.adde.Etſi alij aliter.P.23.l.9.Genialium.Et.L Genialium. ſtandum verò eſt:quia habet illud Plin.lib.15. c.29. atque is eleganter noſtram hanc rationem confirmat.Et P.ea.l.33.ſunt.Porcum L.ſunt. Quamquam ſi fœminam volumus interueniſſe,laudo Ciceronem,qui eo in genere victimæ huius bis meminit lib.2.de Inu.Porcum.P.28.l.14 eam.L.eas.P.47.l.31.legati.L.legatorum.P.49.l.14.erat Si.L.erat.Habet verò lib.2.Thuc.planè ſimile Atheniẽſium factum. Impio homini interdici poſſe legationem opinor:atque atheum Theodorum, cum Lyſimachus illi interdiceret,ne iterum ad ſe veniret,non benè reſpondiſſe dicentem:*Non reuertar, niſi me Ptolomæus iterum mittat.*Quã in vita Ariſtippi Diogenes hiſtoriam tradit. Si.P.42.l.23.violaſſent.Et.L.violaſſent.Superfluè quoque(ſi tamen in re certiori faciẽda quid fit ſuperfluè)Gothos inter & Romanos conuentum,vt ſi quid datum iniuriarum eſſet inducijs ſtantibus,legati tamen tutò irent.quod recenſet Proc.lib.2.de be.Go.Et.P.55.l.14.Quam.L.Quando.P.58.l.33.Secundum.L.Secundam.P.68.l.21.An.L.aliàs an P.69 l.28.legatione.L.legationes.P.70.l,23.ſordidus.L.ſordibus.P.77,l.1.Iuſtinianus. L.Iuſtinianeus.P.80.l.2.poſtulari.L.poſtulare.P.ea.l.28.pugna.L.pugno.P.87.in margine pen.Falci.L.Aquil.P.98.l.29.exemplo.L.extemplo.P.112.l.26.poterant? L.poterant.P.124.l.14 ſit.L.fit.P.132.l.vlt &.L.vt.P.135.l.21.dimittantur.L.dimittatur.